MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81627-23

AUTHOR:

PETRI, FERDINAND

TITLE:

DE ENUNTIATORUM CONDICIONALIUM...

PLACE:

HALIS SAXONUM

DATE:

1887

Master Negative #

93-81627-23

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Petri, Ferdinand. 1860-

De enuntiatorum condicionalium apud Aristophanem formis et usu.

Halis Saxonum 1887. D. in O. 6 + 63 p.

Doctor's dissertation at Halle (Ger.) university.

No. 8 of a vol. of pamphlets.

Dissert.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11X

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 8/2/93 INITIALS BAP

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

mm

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE ENUNTIATORUM CONDICIONALIUM
APUD ARISTOPHANEM
FORMIS ET USU.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

FERDINANDUS PETRI

HASSO-NASSOVIENSIS.

HALIS SAXONUM

MDCCCLXXXVII.

Qui post egregias Godofredi Hermanni curas in grammaticae graecae parte operam collocaverunt ea, qua enuntiata condicionalia continentur, in duas partes abierunt. Etenim cum grammaticorum plurimi et veterum et Hermanni vestigia secuti neque originem cum enuntiatorum compositorum tum condicionalium admodum curantes — excipio philosophicos quos vocant grammaticos — subtiliores quam veriores distinctiones, quae inter varias horum formas intercederent, enuclearent, ante hos quattuordecim annos Ludovicus Lange in libro nitidissimo quem inscripsit: Der homerische Gebrauch der Partikel El, novae doctrinae auctor exstitit. Exemplis particulae εἰ homericis, quae optativi modum exhibent, accuratissime perlustratis probabiliter docuit, enuntiata a particula εἰ incipientia antiquissima sermonis graeci aetate ad optativa pertinuisse et adiecta demum altera enuntiatione, quae, si ipsius veritas a felici eventu enuntiati optativi pendebat, saepius cum priore optativa copulata sensim apodosis locum obtinuit, relaxata ante membra in unam formae condicionalis compagem coaluisse.

Quamquam detecta hac origine mirum quantum profecimus in explananda syntaxi homerica et omnino graeca, cum artificiose usquequaque modo ellipsin modo aposiopesin adsciscerent priores, quae perversa ratio in enuntiatis optativis semper me male habuit, tamen, quod haud raro in excolenda lingua accidit, ut dicendi formae primitiva notio abolesceret, increbresceret derivativa, in haec quoque enuntiata valuit. Quodsi apud ipsum Homerum exemplorum particulae εἰ maior pars desiderii vi abiecta condicionalem assumpsit, id, quo magis hypotactica enuntiatorum structura paratacticam eliminabat, eo facilius oportuisse fieri intellegas. Neque illud ad obscurandam huius usus originem non contulit quod particula εἰ cum ἄν in ἐάν sive ἤν conflata ab initio enuntiatis mere condicionalibus praefigebatur. Restant tamen vel apud atticos scriptores saeculi quinti a. C. n. exempla, quibus tenuis enuntiatorum condicionalium originis memoria servatur, quorum duo Aristophanea afferam. Alterum est

Equ. 404.*) εἴθε φαύλως, ὥσπερ εὗρες, ἐκβάλοις τὴν ἔνθεσιν.
ᾄσαιμι γὰρ τότ' ἂν μόνον, πῖνε, πῖν' ἐπὶ συμφοραῖς. Alterum
Pac. 346. εἰ γὰρ ἐκγένοιτ' ἰδεῖν ταύτην μέ ποτε τὴν ἡμέραν.
349. κοὐκέτ' ἄν μ' εὕροις δικαστὴν δριμὺν οὐδὲ δύσκολον κτλ.

Atque ut de vi condicionali enuntiatorum horum optativorum omnis dubitatio tollatur, ipse comicus prioris exempli sententiam paulum variatam sic expressit:
Equ. 973. ἥδιστον φάος ἡμέρας ἔσται . . . ἢν Κλέων ἀπόληται.

Quamvis igitur ne Aristophanis quidem aetate desint vestigia, quibus quomodo conformari potuerit periodus hypothetica perspicue cognoscatur, tamen inde ab Homeri temporibus nulla fere sensus optativi ratione habita enuntiationes condicionales amplissima incrementa cepisse ipsa paucitate satis demonstrant. Sententiarum vi sola variae condicionum formae certas quasdam et definitas quasi provincias occupaverunt, ut protasi quomodocunque conceptae responderet apodosis congrua. Neque vero, si quae praemisimus vera sunt, in errorem hodie pervulgatum incurremus, quo errore aequabilitatem illam membrorum condicionalium enuntiatorum summam legem putant, quae si violetur, supplemento animo loquentis supponendo atque ipsis pronuntiatis verbis interdum maiore restituatur necesse est. Immo tenemus, quae nobis ellipticae videntur formulae, ex vetere sermonis usu servatas esse, in quo enuntiatis posteriorem concinnitatem nondum homines assignabant. Sed de his enuntiatis gravioribus argumentis allatis suo loco agetur.

Vastam enuntiatorum condicionalium, qualia in exculta lingua Graeca sunt, copiam digesturo secernenda sunt ea, quae particulis εἰ et ἐάν introducuntur, ab iis in quibus condicio enuntiato primario exprimitur. Atque cum in priore genere coniunctiones aut certus modus sequatur aut desit, novam inde petimus dividendi rationem et quaestionem de enuntiatorum condicionalium apud Aristophanem formis et usu ita instituemus ut a particula εἰ cum indicativo coniuncta initium capiamus,

*) In numerandis versibus Dindorfii editionem poetarum scenicorum Graecorum quintam secutus sum.

I. Enuntiata condicionalia, quae εἰ particula cum indicativo iuncta formantur.

Indicativus de iis ponitur, quae sunt aut esse praedicantur. Particulae εἰ si subiungitur, quae proprie rem sumi significat, de vi quam in enuntiatis liberis habet nihil perit. Quod ut eluceat (nam fuerunt, qui negarent), adscribam locum Ecclesiazusarum vs. 21: καταλαβεῖν δ' ἡμᾶς ἕδρας,
ἃς Φυρόμαχός ποτ' εἶπεν, εἰ μέμνησθ' ἔτι,
δεῖ τὰς ἑτέρας πως κἀγκαθεζομένας λαθεῖν.

Potuit Aristophanes nullo sensus discrimine particulam εἰ omittere, satis erat scripsisse: μέμνησθ' ἔτι; quod traditur vertendum est: ich nehme an, ihr erinnert euch noch. Neque illud primo obtutu latet de mutua membrorum relatione, quam crepant, in hoc exemplo male actum esse. Etenim si aequabilitatem nativam enuntiatis condicionalibus inesse statuitur, quam tandem apodosin verbis εἰ μέμνησθ' ἔτι tribuamus? Equidem nihil supplendum esse censeo, modo teneamus particulae εἰ notionem quam vertendo circumscripsimus.

Porro huc referenda sunt enuntiata condicionalia, quae substantivorum vice funguntur, velut
Vesp. vs. 418 ὦ πόλις καὶ Θεώρου θεοισεχθρία,
κεἴ τις ἄλλος προέστηκεν ἡμῶν κόλαξ.
Rebus priore versu advocatis alter versus addit tertium: urbis assentatores. Nemo supplementum, quo efficiatur apodosis enuntiati condicionalis, desiderabit. Eodem modo accusativum excipiunt enuntiata condicionalia in Lys. vs. 579.
εἶτα (ἐχρῆν) ξαίνειν ἐς καλαθίσκον κοινὴν εὔνοιαν ἅπαντας,
καταμιγνύντας τούς τε μετοίκους κεἴ τις ξένος ἢ φίλος ὑμῖν,
κεἴ τις ὀφείλει τῷ δημοσίῳ, καὶ τούτους ἐγκαταμῖξαι.
Eccl. vs. 679. (τὸ βῆμα χρήσιμον) ῥαψῳδεῖν ἔσται τοῖς παιδαρίοισιν
τοὺς ἀνδρείους ἐν τῷ πολέμῳ, κεἴ τις δειλὸς γεγένηται.

Quod Bergkius in Lysistratae vss. 580 sq. comprobante Meinekio reposuit: κεἴ τις ξένος ᾖ φίλος ὑμῖν, inutilis correctio est, cum et φίλος et ξένος aptam explicationem habeant neque particulae εἰ cum coniunctivo rarissime iunctae exemplum coniectura inferre liceat. Atque verbi substantivi defectus plurimis exemplis satis defenditur, e quibus, si tanti est, allego: Vesp. vs. 892: εἴ τις θύρασιν ἡλιάστής, εἰςίτω.

Plerumque sententiae enuntiati ab εἰ particula incipientis altera ita adhaeret, ut, nisi illa praegressa sit, haec non valeat. Iam vero si utriusque sententiae rationem explicare volumus, variae protasis et apodosis formae singillatim recensendae sunt. In aliis formis notio condicionalis vix persentiscitur et paene causalis fit, in aliis integra evadit.

Ac primum quidem protasim indicativo temporis praesentis elatam sequitur apodosis indicativo praesentis. Enuntiatorum membra ita disposita sunt, ut in undeviginti exemplis praecedat protasis apodosi, in quindecim exemplis apodosis praeposita sit protasi. Duabus de causis protasi locum priorem concedi exspectari licet, quarum una est, quod principium cuiusdam rei vel facti, ut natura prius est, ita etiam sermone priore loco significari consentaneum est; altera, quod ex origine optativa, sententiae condicionali antiquitus priorem locum deberi iure statuimus. Maior esset exemplorum veteris usus apud Aristophanem numerus, nisi particula μή etiam εἰ, nempe in locutione εἰ μή quater (N. 327. 660. Av. 1680. Thesm. 470) suo loco motum esset.

Quamquam variae aut apodosis verbi omissi aut ipsius abiectae apodosis formae, quae in diverbiis comoediae saepissime orationis concisae et quae inutilem verborum copiam repudiet adhibentur, dignae sunt, quae postea separatim tractentur, tamen praemonebo, substantivum et adiectivum praedicative poni:

Vesp. vs. 956. τί οὖν ὄφελος, τὸν τυρὸν εἰ κατεσθίει.
et Eccl. vs. 644. τὰ μὲν ἄλλα λέγεις οὐδὲν σκαιῶς · εἰ δὲ προςελθὼν
'Επίκουρος,
ἢ Λευκολόφας πάππαν με καλεῖ, τοῦτ' ἤδη δεινὸν
ἀκοῦσαι.

primam praesentis personam ex secunda supplendam esse in:
Eq. vs. 315 εἰ δὲ μὴ σύ γ' οἶσθα κάττυμ', οὐδ' ἐγὼ χορδεύματα et
Pl. vs. 396 Chr. νὴ τὸν Ποσειδῶ. Bl. τὸν θαλάττιον λέγεις;
Chr. εἰ δ'ἔστιν ἕτερός τις Ποσειδῶν, τὸν ἕτερον.

Duplex protasis, cuius ratio melius cum ceteris eiusdem generis formis disceptatur, exstat in
Av. vs. 757 εἰ γὰρ ἐνθάδ' ἐστὶν αἰσχρὸν τὸν πατέρα τύπτειν νόμῳ,
τοῦτ' ἐκεῖ καλὸν παρ' ἡμῖν ἐστιν, ἤν τις τῷ πατρὶ
προςδραμὼν εἴπῃ πατάξας, αἶρε πλῆκτρον, εἰ μαχεῖ. et
Thesm. vs. 789 εἰ κακόν ἐσμεν, τί γαμεῖθ' ὑμεῖς, εἴπερ ἀληθῶς
κακόν ἐσμεν;

Ex omnibus enuntiatorum condicionalium generibus hoc levissime alteram sententiam ab altera pendere legentis animo subicitur. Quo fit, ut condicionalis particulae εἰ vis interdum in causalis particulae notionem fere abeat, velut in Nubibus Amyniam, postquam rerum caelestium notitiam sibi curae non esse declaravit, Strepsiades indignans alloquitur:
vs. 1283 πῶς οὖν ἀπολαβεῖν τ'αργύριον δίκαιος εἶ,
εἰ μηδὲν οἶσθα τῶν μετεώρων πραγμάτων;

Neque aliter explicari potest, quod εἰ pro ὅτι positum videtur in
Ran. vs. 1006. θυμοῦμαι μὲν τῇ ξυντυχίᾳ καί μου τὰ σπλάγχν' ἀγανακτεῖ,
εἰ πρὸς τοῦτον δεῖ μ'ἀντιλέγειν.

i. e. fervent mihi bile viscera quod mihi contra hunc disputandum erit. Certam rei cuiusdam causam hac dicendi formula incertam reddunt. Non uno nomine commemorandi sunt Pluti
vs. 329 sqq.: δεινὸν γάρ, εἰ τριωβόλου μὲν οὕνεκα
ὠστιζόμεσθ' ἑκάστοτ' ἐν τἠκκλησίᾳ,
αὐτὸν δὲ τὸν Πλοῦτον παρείην τῳ λαβεῖν.

Diversos modos iunxit Aristophanes, quoniam ad diversa tempora spectant; alterum enim (ὠστίζεσθαι), ut iam Porsonus monuit ad Euripidis Phoen. vs. 91., revera quotidie fiebat, alterum vero (παριέναι τὸν Πλοῦτον) ex futuri temporis eventu pendebat. Itaque in priore membro εἰ idem significat atque ὅτι. Quod apodosis ad protasim optativo conceptam solo adiectivo continetur, cuius legitima forma erat δεινὸν ἂν εἴη

(εἰ παρείην), modorum varietate quibuscum εἰ coniunctum est excusatur. Cum adiectivum praedicativum in ceteris enuntiatis hypotheticis adamaverint Graeci, Aristophanis unum praeterea huiusmodi exemplum in manibus est

Lys. vs. 1111. ἀλλ' οὐχὶ χαλεπὸν τοὔργον, εἰ λάβοι γέ τις
ὀργῶντας ἀλλήλων τε μὴ 'κπειρωμένους.

In Eccl. vs. 644, quem supra adscripsimus, particula εἰ, quod in rebus futuris depingendis versatur poeta, propriam vim retinet. Enuntiatorum condicionalium huius formae usum ita delineaveris, ut eam adhiberi dicas, si quis nullo animi affectu aut nulla effectus ratione habita rem ponat, ut alteram inde fieri concludat.

Nova eiusdem generis species imperativo in apodosi collocato efficitur. Uno loco, Nubium vs. 11 imperativi vice fungitur coniunctivus adhortativus: ἀλλ' εἰ δοκεῖ, ῥέγκωμεν ἐγκεκαλυμμένοι. Ut supra protasim praeponi solitam esse vidimus, ita hic quoque aliquanto maior est exemplorum numerus, in quibus protasis praecedit apodosi. Cum undeviginti locis protasis sequatur apodosim, viginti octo locis haec illam excipit. Quoniam discrimen quod inter imperativum praesentis et aoristi intercedit leviculum est, utrumque coniungimus. Grammatici inde ab Hermanno, quid ad sensum referat, si legatur imperativus aut praesentis aut aoristi, inter se discrepant. Hermannus ad Vigerum p. 747 (ed. IV.) sic statuit: „Praesens et aoristus in caeteris praeter indicativum modis eo maxime differunt, quod praesens rem diutius durantem vel saepius repetitam, aoristus rem brevi absolutam aut semel factam indicat. Inepte dicas γράψον βίβλον, quia hoc longi temporis opus est: recte vero δὸς τὴν χεῖρα quia hoc brevi temporis momento fit.“ Hanc definitionem praeter alios Madvigius in Syntaxi graeca (p. 176) amplexus est. A Kruegeri sententia (gr. Sprachlehre ed. 4. p. 177): „Der Imperativ des Aorist ist gewöhnlich zeit- und dauerlos, das blosse Eintreten der Handlung bezeichnend, während eben dieser Modus des Praesens ein Zuständliches ausdrückt“ non multum differt Curtii (Gr. Schulgr. 12. Auflg. 1878 p. 278): Die aoristischen Formen (coni. opt. imp. inf.) bezeichnen mehr eine einzelne

als Punkt aufgefasste Thatsache, die praesentischen einen Zustand, oft einen länger anhaltenden. Kühnerus denique satis obscure distinguit (ausf. Gramm. 1870 p. 158): bei dem Imperativ des Aorist lässt der Redende die Handlung selbst in den Vordergrund treten, bei dem Imperativ des Praesens die Entwickelung derselben.

Si quis tam diversas de utriusque formae notione sententias prolatas viderit, sentiet, opinor, eam esse imperativi praesentis et aoristi differentiam, ut haud raro uterque eandem explicationem habeat. Sed ut rite procedat disputatio nostra, proficiscimur a duobus locis Aristophaneis, qui imperativum et praesentis et aoristi in apodosi sententiae condicionalis praebent. Prior est

Lys. vs. 531 ἀλλ' εἰ τοῦτ' ἐμπόδιόν σοι,
παρ' ἐμοῦ τουτὶ τὸ κάλυμμα λαβὼν
ἔχε καὶ περίθου περὶ τὴν κεφαλήν,
κᾆτα σιώπα.

Lysistrata probulo ut taceret imperaverat, at ille nunquam id se facturum esse affirmavit praesertim imperante femina, quae caput flammeo velatum haberet. Quod probrum ut tollat ipsi probulo flammeum affert. Accipiendi (λαβὼν ἔχε) et circumponendi (περίθου) actio eiusdem temporis est; in imperativo praesentis nihil est quod durantem vel repetitam rem indicet. Perinde est λαβὼν ἔχε ac si scripsisset poeta λαβὲ καὶ περίθου. Meinekius quidem inconcinnitatis impatiens melius esse utrumque imperativum praesentis proposuit: περιδοῦ, quae quamvis facilis sit mutatio tamen iure ab editoribus respuitur. Melius imperativi secerni possunt in altero exemplo

Nub. vs. 452 ταῦτ εἴ με καλοῦσ' ἁπαντῶντες,
δρώντων ἀτεχνῶς ὅ τι χρῄζουσιν,
κεἰ βούλονται,
νὴ τὴν Δήμητρ' ἔκ μου χορδὴν
τοῖς φροντισταῖς παραθέντων.

Strepsiades intrepidus corpus se nubium ministris traditurum esse pollicetur, modo hominibus videatur esse audax, tritus in litibus, versutus. Si his me nominibus, inquit, appellant, faciunto plane ut lubet, et si volunt ex me intestina farciunto

et scholasticis adponunto. Calumnias creditores Strepsiadi identidem ingerere possunt, sed poenam, quam lepide sibi precatur, semel iis sumere licet. Hermanni distinctionem huic loco aptam, ceteris locis non magis adhibere possumus quam reliquorum grammaticorum. Diu multumque cogitanti mihi non contigit intellegere, quid intersit inter

Lys. vs. 73. εἴ τι πάνυ δεῖ, ταῖς παρούσαισιν λέγε. et

Pac. vs. 20. ὑμῶν δέ γ' εἴ τις οἶδ', ἐμοὶ κατειπάτω.

Strepsiades, ut in perpetuum aere alieno liberetur, filium re equestri missa statim sophistarum scholis interesse vult in Nubium vs. 106 ἀλλ' εἴ τι κήδει τῶν πατρῴων ἀλφίτων,
τούτων γενοῦ μοι σχασάμενος τὴν ἱππικήν.
At chorus Pacis a Trygaeo quid e re praesenti sit exploraturus, idemque responsum statim petiturus imperativo praesentis utitur vs. 305: πρὸς τάδ' ἡμῖν, εἴ τι χρὴ δρᾶν, φράζε κἀρχιτεκτόνει. Quae cum ita sint, etsi discrimen inter imperativum praesentis et aoristi fuisse facile credideris, tamen grammaticorum definitiones plerumque sententiae quadrare nego. Exemplorum Aristophaneorum numerus rarior est, quam ut ex iis, quam normam secuti sint comici, statuas, id unum affirmari potest, imperativum praesentis saepius adhiberi in apodosi enuntiatorum condicionalium eumque multis locis imperativo aoristi sensu parem esse. Utriusque membri relatio in hac specie condicionali artior est quam in superiore neque deflexit particulae εἰ vis nisi in Dicaeopolidis oratione ex Telepho Euripideo expressa:

Ach. vs. 496. μή μοι φθονήσητ', ...
εἰ πτωχὸς ὢν ἔπειτ' ἐν 'Αθηναίοις λέγειν
μέλλω περὶ τῆς πόλεως.

Alacritate quadam animi quod quis fieri ardentissime cupit interrogative per τί οὐ cum indicativo aoristi in sermone graeco exprimitur, qui usus ad Aristophanis sermonem familiarem accommodatissimus est. Sed huius enuntiatorum condicionalium formae imperativus nisi uno loco. Ach. vs. 591 tali modo non circumscribitur: εἰ δ' ἰσχυρὸς εἶ,
τί μοὐκ ἀπεψώλησας; i. e. statim me pedica.

Imperativo praesentis et aoristi maxime affinis est indicativus futuri, cuius formae saepissime imperativi locum

obtinent. Quare exempla apodosis periodi hypotheticae indicativo futuri positae aptissime hic commemorantur. Vix est quod moneam, exempla particulae εἰ praepositivae praevalere, ut tribus tantum locis apodosis protasi praecedat (N. vs. 413. Lys. vs. 1202 Pl. vs. 473), omnibus autem ceteris octo locis legitimus verborum ordo servetur. Luculentum transitus futuri ad imperativum exemplum, quo exemplo simul quem locum his enuntiatis assignavimus satis comprobatur, non praeteribo:

Av. vs. 762. εἰ δὲ τυγχάνει τις ὢν Φρὺξ μηδὲν ἧττον Σπινθάρου,
φρυγίλος ὄρνις ἐνθάδ' ἔσται·
εἰ δὲ δοῦλός ἐστι καὶ Κὰρ ὥσπερ 'Εξηκεστίδης,
φυσάτω πάππους παρ' ἡμῖν καὶ φανοῦνται φράτερες.

Saepe accidit, ut rei fidem quis faciat asseverando, si ita esset aut non esset, gravissimum se supplicium subire paratum esse. Quae si imprecatio modi optativi enuntiato condicionali adnectitur, protasis modus interdum apodosis modo exaequatur, sed apud Aristophanem quidem saepius protasis modum indicativum servat. Talia exempla huc pertinent, qualia sunt:

Equ. vs. 400. εἴ σε μὴ μισῶ, γενοίμην ἐν Κρατίνου κῴδιον. et

Ach. vs. 151. κάκιστ' ἀπολοίμην, εἴ τι τούτων πείθομαι.

Quamquam plerumque optativus aoristi est, tamen non deest exemplum optativi praesentis, quod idem solum tertia optativi persona positum est:

P. vs. 444. κεἴ τις ἐπιθυμῶν ταξιαρχεῖν σοι φθονεῖ
ἐς φῶς ἀνελθεῖν, ὦ πότνι', ἐν ταῖσιν μάχαις
πάσχοι γε τοιαῦθ' οἷάπερ Κλεώνυμος.

Protasi condicionali indicativi praesentis aliquoties iudicium adhaeret, quod optativo socia particula ἄν profertur. Ita Dionysius de Aeschyli Herma Chthonio admodum frigide Euripidis sermonem interrumpens Ran. vs 1148 sq. dicit:

εἰ γὰρ πατρῷον τὸ χθόνιον ἔχει γέρας,
Dion. οὕτως ἂν εἴη πρὸς πατρὸς τυμβωρύχος.

Trygaei servus de deorum lenocinio certior factus se deos non iam honoribus affecturum esse affirmat in

Pac. vs. 848. οὐκ ἂν ἔτι δοίην τῶν θεῶν τριώβολον,
εἰ πορνοβοσκοῦσ' ὥσπερ ἡμεῖς οἱ βροτοί.

Venimus ad id condicionis genus, quod quoniam in apodosi indicativus aoristus sive nudus sive consociatus cum particula ἄν exhibetur ad rem non factam referatur necesse est. Postulatur ex sermonis graeci legibus etiam in protasi indicativus aoristi (sive imperfecti); significatur enim id quod fieret, si servata esset condicio, sed non fit, quia non est servata. Quodsi in talium enuntiatorum protasi indicativus praesentis adhibetur singularem explicationem habet, neque quattuor exemplorum quae apud Aristophanem traduntur ratio prorsus eadem est. In depingenda hominum alatorum felicitate Aristophanes primum utitur imperfecto εἴ τις ἦν ὑπόπτερος . . . ἐκπτόμενος ἂν οὗτος ἠρίστησεν ἐλθὼν οἴκαδε, sed pergit:

Av. vs. 790. εἴ τε Πατροκλείδης τις ὑμῶν τυγχάνει χεζητιῶν,
οὐκ ἂν ἐξίδισεν ἐς θοἰμάτιον, ἀλλ' ἀνέπτετο.
793. εἴ τε μοιχεύων τις ὑμῶν ἐστιν ὅστις τυγχάνει,
795. οὗτος ἂν πάλιν παρ' ὑμῶν πτερυγίσας ἀνέπτετο.

Praesens tempus de hominibus quales spectant comoediam usurpatur, apodosis ad rem non vere factam pertinet. Melius elucescit utriusque membri relatio, si vertendo interponimus particulam, qua apodosim in fabulosa rerum natura esse apparet: Si quis vestrum alatus esset, is evolaret, et si quis forte ut Patroclides cacaturit, non ille, tum scilicet si alatus esset, pallium contaminaret, sed alio avolaret et re facta huc revolaret. Patroclides erat κατασχημονῶν τῶν στρωμάτων et vs. 790 omnes eius socii describuntur, quos poeta uno nomine complecti potuit, ut vs. 793 οἱ μοιχοί pro enuntiato condicionali substitui potest. In eadem fabula patricida ad aves transiturus, postquam esse legem audivit ex qua etiam avibus pater alendus esset, exclamat

vs. 1358. ἀπέλαυσά τ' ἄρ' ἂν νὴ Δί' ἐλθὼν ἐνθαδί,
εἴπερ γέ μοι καὶ τὸν πατέρα βοσκητέον.

Si patrem secundum avium leges oportet alere, operae pretium fecissem huc veniens, quae verba ironice intellegenda sunt: non operae est huc venisse, si patrem alere oportet. Cum patricida nondum civibus novae rei publicae adcriptus sit, ponit, quid, si adscriptus esset, evenisset. Pullorum officium, ut patrem alant, manet, sive accedit ad aves sive

earum societatem detrectat. Hoc exemplo commode traducimur ad aliud

Nub. vs. 1338. ἐδιδαξάμην μέντοι σε νὴ Δί', ὦ μέλε,
τοῖσιν δικαίοις ἀντιλέγειν, εἰ ταῦτά γε
μέλλεις ἀναπείσειν, ὡς δίκαιον καὶ καλὸν
τὸν πατέρα τύπτεσθ' ἐστὶν ὑπὸ τῶν υἱέων.

Lamentatur Strepsiades se ipsum, cum Phidippides patrem a filio verberari iustum esse demonstrare velit, et sine ironia dicere debebat: οὐκ ἂν ἐδιδαξάμην σε, εἰ μέλλεις ἀναπείσειν, non mehercle te sophistis erudiendum tradidissem, si nunc persuasurus es. Cum vero ironiae sit, contrarium dicere eius quod intellegi debeat, patet, ea quae sine ironia cum particula ἄν dicenda essent, si ironice dicuntur, carere debere particula (sic rem recte expedivit Hermannus de part. ἄν cap. XIV, p. 74). Quartum exemplum est:

Ach. vs. 562. εἶτ' εἰ δίκαια, τοῦτον εἰπεῖν αὔτ' ἐχρῆν;

Interrogatio sensu negativo intellegenda est idemque valet atque: εἰ δίκαια λέγει, τοῦτον εἰπεῖν αὔτ' οὐκ ἐχρῆν. Simul propter sententiam apodosis oppositam protasi condicionalis particulae εἰ vis concessiva facta est.

Hae fere sunt apodosis formae enuntiatorum condicionalium, quorum protasis particula εἰ cum indicativo praesentis coniuncta efficitur. Restat, ut de particularum εἴπερ, εἰ καὶ et καὶ εἰ cum indicativo praesentis copulatarum vi pauca addam. Particula περ, cuius origo ex praepositione περί petitur, rem sive actum prae ceteris esse significabant Graeci. Hac elatione enuntiatum condicionale ad apodosim raro ita refertur, ut sensus concessivus evadat. Velut in

N. vs. 340. λέξον δή μοι τί παθοῦσαι,
εἴπερ Νεφέλαι γ' εἰσὶν ἀληθῶς, θνηταῖς εἴξασι γυναιξίν;

apodosis sensus opponitur protasi, cuius vis particula περ ita aucta est, ut recte vertere possis: undenam factum est, ut, si nubes sint, tamen sint similes mulieribus. Eadem ratio cadit in Nub. vs. 399.

καὶ πῶς, εἴπερ βάλλει τοὺς ἐπιόρκους, δῆτ' οὐχὶ Σίμων' ἐνέπρησεν;

Sed plerumque augendae tantum condicionis notioni inservit εἴπερ. Praeter indicativum aoristi et perfecti, qui in exemplis

quae adscripsi exstat, imperativus et praesentis et aoristi, et indicativus praesentis et futuri in apodosi inveniuntur. Indicativus imperfecti et aoristi, quo in enuntiatis condicionalibus ab εἰ incipientibus nisi singulari de causa non usus est poeta, etiam vocem εἴπερ raro sequitur. Duobus locis perhibetur (nam tertio loco fragm. 476 Dind. de incerta Porsoni coniectura additur):

Equ. vs. 848. οὐ γὰρ σ' ἐχρῆν, εἴπερ φιλεῖς τὸν δῆμον, ἐκ προνοίας
ταύτας ἐᾶν αὐτοῖσι τοῖς πόρπαξιν ἀνατεθῆναι.

Av. vs. 531. κοὐδ' οὖν, εἴπερ ταῦτα δοκεῖ δρᾶν,
ὀπτησάμενοι παρέθενθ' ὑμᾶς,
ἀλλ' ἐπικνῶσιν τυρὸν, ἔλαιον.

In priore exemplo isiciarius populum a Cleone decipi persuasum habet atque ad patefaciendam fraudem, quid, si benevolus esset Cleo, facere debuisset pluribus exponit. Altero loco aoristus consuetudinem hominum designat. Cum in omnibus quae adhuc recensuimus enuntiatorum condicionalium exemplis maior sit numerus praepositivarum sententiarum condicionalium, in hac specie inversus membrorum ordo usitatior est. Quattuordecim locis protasis condicionalis posteriore loco habetur, novem locis priore loco est.

Quod adhuc et in sola particula εἰ in particula composita εἴπερ fieri vidimus, ut concessivam notionem assumerent, id particulae εἰ cum καί coniunctae semper accidit, dicimus coniunctiones κεἰ et εἰ καί. Condicionali enuntiato proprie significatur quod praegredi necesse est, priusquam alia res fieri possit; neque vero sententiarum ratio opposita est, ut altera valeat, etiamsi altera fiat. Si condicionalis enuntiati membra ita comparata sunt, concessivam compagem effici apparet. Qui factum sit, ut εἰ καί in vim concessivam abiret, grammatici aucta vi condicionali explicare frustra student (instar omnium vide Kuehnerum p. 989), cum in eo summa posita sit, quod particula καί eius verbi vim auget cuius notio apodosis actioni contrarium est. Quid sentiam uno exemplo Aristophaneo declarabo, Lysistratae

vs. 254. χώρει Δράκης, ἡγοῦ βάδην, εἰ καὶ τὸν ὦμον ἀλγεῖς
κορμοῦ τοσουτονὶ βάρος χλωρᾶς φέρων ἐλάας.

Coniunctio καί non solum εἰ particulae vim auget sed etiam verbi ἀλγεῖν; humerorum dolore si quis afficitur, oneri ferendo impar est, nedum onustus progrediatur. Alia vocis καί εἰ ratio est, qua Aristophanes tribus locis usus est. καί εἰ usurpatur de re quam fieri indicamus etiam tum si protasis condicio impleta esset, cuius sententia et ipsa opposita est apodosi.

V. vs. 1332. ἦ μὴν σὺ δώσεις αὔριον τούτων δίκην
ἡμῖν ἅπασι, κεἰ σφόδρ' εἶ νεανίας.

Qui iuveniliter exsultat, vix poenas se daturum esse credit, sed affirmat Bdelycleo, poenas repeti a Philocleone, etsi valde iuveniliter exsultet. Apodosis particula ὅμως inducitur:

Eccl. vs. 888. κεἰ γὰρ δι' ὄχλου τοῦτ' ἐστὶ τοῖς θεωμένοις,
ὅμως ἔχει τερπνόν τι καὶ κωμῳδικόν.

Perlustrato hoc enuntiatorum condicionalium genere ad aliud transimus, cuius protasis particula εἰ cum futuro coniuncta formatur. Quam ψυχικὴν διάθεσιν vocant grammatici in hoc genere, ut in priore, plerumque abest, nisi quod rem enuntiato condicionali significatam eventuram esse vix se exspectare is qui loquitur saepius censet. Tribus locis in protasi futurum passivi usurpavit Aristophanes: Equ. vs. 175. Av. vs. 177. R. vs. 254. Memorabilis est futuri et praesentis confusio quam Cobeto exstirpare non contigit: Av. vs. 1225. δεινότατα γάρ τοι πεισόμεσθ', ἐμοὶ δοκεῖν,
εἰ τῶν μὲν ἄλλων ἄρχομεν, ὑμεῖς δ' οἱ θεοὶ ἀκολαστανεῖτε.
cuius rationem Kockius bene perspexit, qui verba reddit: wenn, während wir alle übrigen beherrschen, ihr stets euren Mutwillen mit uns sollt treiben können. Ad temporum varietatem firmandam possunt adscisci Plut. vss. 329 sqq., quos supra exscripsimus. Etiam huius generis enuntiatorum condicionalium membra ita disposita sunt, ut protasis praecedat multo saepius apodosi; uno et triginta locis hoc ordine habentur, sedecim locis apodosis priorem sedem occupavit. Harum sententiarum in apodosi longe praevalet indicativus sive futuri simplicis sive futuri passivi, quippe cum rei futurae eventus et ipse futurus sit. Futurum tertium ex Suida et a scholiasta reponitur Nub. vs. 1277. Raro apodosis tempore praesenti profectur (Equ. vs. 1359 sq. Eccl. 471 Pl. vs. 922);

semel in hoc genere aoristum adhibuit in Pl. vs. 555. Grammatici huc quoque referunt enuntiata quorum in apodosi adiectivum positum est, cum supplendum esse contendant ἐστίν. Sed quamvis haec ellipsis usitata videatur, tamen verius est adiectivum praedicative adhiberi statuere, praesertim cum nescias, suppleatur in his enuntiatis futurum an praesens. Frequens usus est adiectivi δεινόν

Equ. vs. 609. δεινά γ', ὦ Πόσειδον, εἰ μηδ' ἐν βυθῷ δυνήσομαι
μήτε γῇ μήτ' ἐν θαλάττῃ διαφυγεῖν τοὺς ἱππέας. sed etiam alia adiectiva leguntur, velut ἄξιον in Av. vs. 548. ζῆν οὐκ ἄξιον ἡμῖν
εἰ μὴ κομιούμεθα παντὶ τρόπῳ τὴν ἡμετέραν βασιλείαν.

μεγάλα. Eccl. vs. 568. νὴ τὸν Ποσειδῶ, μεγάλα γ', εἰ μὴ φεύσεται, quem versum apprime Droysenus vertit: So wahr Poseidon, grosse Dinge, lügt sie nicht. Brunckius et Dindorfius erraverunt reddentes: Magna pollicetur, nisi quidem fallet nos. Ceterum semper protasis apodosim in exemplis Aristophaneis sequitur.

Quas in priore capite tractavimus apodosis formas etiam in hoc genere inveniuntur quamquam optativi, qui est optantis, exemplum non exstat. Omnino admodum rarae sunt praeter futuri indicativum apodosis formae, ut imperativi certa exempla duo habeas: R. vs. 176 et Av. vs. 759, cum Pacis vss. 89 sqq. Meinekius et Hamakerus ut ineptissimos damnaverint, totidemque optativi cum ἄν particula coniuncti: Nub. vs. 1393 et Eccl. vs. 160, quo eodem loco quartum futuri passivi in protasi condicionali exemplum traditur. Particulae εἰ per encliticam περ auctae exempla nihil habent quo a reliquis differant; id unum adnotatione dignum videtur, semel indicativum imperfecti servari:

R. vs. 12. τί δῆτ' ἔδει με ταῦτα τὰ σκεύη φέρειν,
εἴπερ ποιήσω μηδέν, ὦνπερ Φρύνιχος
εἴωθε ποιεῖν καὶ Δύκις κἀμειψίας;

Protasis uno loco praepositiva est:

Pac. vs. 265. εἴπερ γὰρ ἥξει τὸν ἀλετρίβανον φέρων,
τούτῳ ταράξει τὰς πόλεις καθήμενος.

Indicativum nihil de sua vi perdere post particulam εἰ positum ex iis, quae adhuc exposita sunt, satis apparet. Neque

vero solum in temporibus primariis sed etiam in secundariis vel historicis idem animadvertere licet. Inter has duas temporum classes medium interpositum est tempus perfectum, quo aptissime transimus ad contemplanda ea enuntiatorum condicionalium genera, in quibus particulam εἰ sive aoristus sive imperfectum sequitur.

Atque primum quidem perfecti usus in enuntiatis condicionalibus rarus est. Cuius rei causam si quis investigaverit, unam positam esse inveniet in aoristi et perfecti multimodis pari significatione, qua aoristus perfecti provinciae partem occupavit, alteram ex condicionis vi petet, qua homines de rebus peractis rarius utuntur quam de rebus agendis. Itaque ne aoristi quidem — indicativi dico, nam ceteri modi praeteriti notionem saepissime abiecerunt — et imperfecti usus prae praesentis et futuri frequens est. In apodosi horum enuntiatorum indicativus et praesentis perhibetur, velut

R. vs. 190. δοῦλον οὐκ ἄγω
εἰ μὴ νεναυμάχηκε τὴν περὶ τῶν κρεῶν.

et futuri, et imperativus. εἴπερ cum indicativo perfecti in causalis particulae vim abiit

N. vs. 1142. νῦν οὖν δικαζέσθων, ὀλίγον γάρ μοι μέλει,
εἴπερ μεμάθηκεν εὖ λέγειν Φειδιππίδης.

Protasis in quattuor reliquis exemplis (quintum Vesp. vs. 630 propter perfecti δέδοικα vim praesentem non respexi) apodosi praecedit. Cum leve perfecti et aoristi discrimen causam perfecti raro adhibiti dixerim, non possum non commemorare R. vs. 1010. τοῦτ' οὖν εἰ μὴ πεποίηκας,
ἀλλ' ἐκ χρηστῶν καὶ γενναίων μοχθηροτάτους ἀπέδειξας,
τί παθεῖν φήσεις ἄξιος εἶναι;

Agitur de poëtarum officio, quale Euripides auspice Aeschylo constituerat, meliores redderent cives. Quo fortius, quantum officio defuisset Euripides, appareret, Aeschylus pervulgatam poetarum et ipsius Aristophanis consuetudinem secutus eandem sententiam negative et affirmative expressit, quam nisi pressisset, dixisset aut: τοῦτ' οὖν εἰ μὴ πεποίηκας, τί παθεῖν φήσεις ἄξιος εἶναι; aut εἰ δ' ἐκ χρηστῶν καὶ γενναίων μοχθηροτάτους ἀπέδειξας, τί παθεῖν φήσεις ἄξιος εἶναι;

Indicativum aoristi in protasi condicionali saepe in apodosi sequitur indicativus praesentis. Non omnia apud Aristophanem exempla notionem condicionalem tam sinceram servant, quam

R. vs. 613. εἰ πώποτ' ἦλθον δεῦρ', ἐθέλω τεθνηκέναι.

Accidit etiam, ut declarandae causae εἰ inserviat. Praeter indicativum praesentis in apodosi indicativus futuri legitur, velut:

Equ. vs. 482. ἄγε δὴ σὺ τίνα νοῦν ἢ τίνα γνώμην ἔχεις,
νυνὶ διδάξεις, εἴπερ ἀπεκρύψω ποτὲ
ἐς τὼ κοχώνα τὸ κρέας, ὡς αὐτὸς λέγεις.

Particula εἴπερ, cum verba nihil valeant nisi: ut antea, quotiens carnem furatus eras, versute te crimine expediebas, ita nunc, quo sis animo, ostendas, deflexit a vi condicionali in comparativam. Idem affirmari potest de

Thesm. vs. 1155. μόλετον, ἔλθετον, ἀντόμεθ',
1157. εἰ καὶ πρότερόν ποτ' ἐπηκόω
ἤλθετε, νῦν ἀφίκεσθ', ἱκετεύομεν, ἐνθάδ' ἡμῖν.

Grammatici et interpretes copulam καί in enuntiato pleno post εἰ insertam, quae in formula εἴ τις καὶ ἄλλος saepius occurrit, ne verbo quidem dignam putaverunt. Si sermonem ad cogitandi normam direxeris, legitima exempli forma haec erit: εἰ πρότερόν ποτ' ἐπηκόω ἤλθετε, καὶ νῦν ἀφίκεσθ', ἱκετεύομεν. Sed cum ardentissime chorus Thesmophoras ad ipsum venire optet, intempestive in ipsam protasim desiderii significationem infarsit, quod apodosi continetur. Aliter singularis haec locutio vix explicanda est atque analogia enuntiatorum comparativorum (ὥσπερ καὶ — οὕτως) extra omnem dubitationis aleam posita esse mihi haec ratio videtur. Similem sermonis graeci ab iusta cogitandi lege aberrationem in formula εἰ μή praecedente vocabulo ἄλλο postea observabimus, quae vox et ipsa exclusionem rei per protasim expressam in apodosi praepositiva antecapit. Nullum praeterea Aristophanis exemplum in comparationem vocari potest nisi forte Vesp. vs. 556.

οἴκτειρόν μ', ὦ πάτερ, αἰτοῦμαί σ', εἰ καὐτὸς πώποθ' ὑφείλου.

Imperativi locum in apodosi semel coniunctivus, qui est prohibentis, obtinet: Pl. vs. 1146 μὴ μνησικακήσῃς, εἰ σὺ Φυλὴν κατέλαβες. Optativus socia particula ἄν habetur in

Ach. vs. 307. πῶς δέ γ' ἂν καλῶς λέγοις ἄν, εἴπερ ἐσπείσω γ' ἅπαξ.

Enuntiati condicionalis membra, si ad tempus praeteritum relata sunt, aoristo vel imperfecto proferuntur. Apud Aristophanem aoristi in apodosi enuntiati condicionalis (cuius in protasi aoristus est) exemplum nullum reperi (fragm. 5$^{b.}$ incerta coniectura effictum est), imperfecti duo:

Equ. vs. 347. εἴ που δικίδιον εἶπας εὖ κατὰ ξένου μετοίκου,
350. ᾠου δυνατὸς εἶναι λέγειν.

P. vs. 1150. ἦν δὲ καὶ πυός τις ἔνδον καὶ λαγῷα τέτταρα,
εἴ τι μὴ 'ξήνεγκεν αὐτῶν ἡ γαλῆ τῆς ἑσπέρας.

Etiam in hoc genere protasis saepius apodosi praecedit.

Imperfectum in protasi condicionali raro apud Aristophanem exstat et singulari ratione plerumque infertur. Quot exempla tot apodosis formae leguntur, ex quibus adnotabo primum Nub. vs. 1150.

μεμάθηκεν, 1151 ὥστ' ἀποφύγοις ἂν ἥντιν' ἂν βούλῃ δίκην.
Streps. κεἰ μάρτυρες παρῆσαν, ὅτ' ἐδανειζόμην;
Socr. πολλῷ γε μᾶλλον, κἂν παρῶσι χίλιοι.

Varietatem formae condicionalis ex varia utriusque sententia explicavit Hermannus (de ἄν part p. 26); nam quod de uno facto dixerat Strepsiades, Socrates universe de quavis simili causa affirmat. Apodosis verbum prorsus deest:

Lys. vs. 521. ὀρθῶς γε λέγων νὴ Δί' ἐκεῖνος. Lys. πῶς ὀρθῶς,
εἰ μηδὲ κακῶς βουλευομένοις ἐξῆν ὑμῖν ὑποθέσθαι,

ubi ex versibus antecedentibus ἔφασκεν subintellegi necesse est. Nihil in his exemplis imperfectum significat nisi rem praeteritam; de rebus iteratis dictum est:

Pl. vs. 1020. ὄζειν τε τῆς χροιᾶς ἔφασκεν ἡδύ με,
Chr. εἰ Θάσιον ἐνέχεις, εἰκότως γε νὴ Δία, quod magis perspicuum fit, si duobus versibus ante poetam: χεῖρας παγκάλας ἔχειν μ' ἔφη, ὁπότε προτείνοιέν γε δραχμὰς εἴκοσιν scripsisse animadvertas. Indicativus futuri in apodosi est in Equ. vss. 1309 sq.

Explicavimus particulae εἰ cum indicativo consociationem eam, quae ad res vere factas refertur. Iam dicendum est de altero genere, quod, quamvis diversum videatur a priore, tamen nihil ab eo differt, dicimus εἰ particulam cum indicativo praeteriti coniunctam in condicione non servata. Modo irreali,

quem quidam in grammaticam graecam novam indicativi et ab usitata alienam vim induxerunt, nihil ad intellegendum hunc usum opus est. Quod in exordio huius opusculi exposuimus, enuntiata condicionalia ab optativis profecta esse, hoc loco novis rationibus firmari potest. Si quis rem praeteritam fieri desiderat, rem in tempore praesenti aliter se habere ipse non nescit. Quare indicativo in enuntiatis optativis, quae ad praeteritum spectant, suo iure Graeci omni aetate usi sunt. Inde duxeris indicativi in enuntiatis condicionalibus vim et naturam, quam nonnullis locis vel apud Aristophanem satis perspicere possumus. Exempli gratia affero:

Lys. vs. 360. εἰ νὴ Δί' ἤδη τὰς γνάθους τούτων τις ἢ δὶς ἢ τρὶς
ἔκοψεν ὥσπερ Βουπάλου, φωνὴν ἂν οὐκ ἂν εἶχον.

Chorus senum auxilio destitutus mulieres, quae arcem obtinent, frustra aggredi studet. Dum ad oppugnandam arcem inter se hortantur senes, mulierum superbiam deprecantur. Cum nemodum maxillas mulierum tutuderit (quod ipse chorus ex impudenti earum clamore exploratum habet), desiderium profertur: Utinam quis tutudisset istarum maxillas, tum vocem non haberent. Atque desiderio locum esse in his versibus, quicumque accuratius illud senum et mulierum diverbium examinaverit, facile intelleget. Una vox ex hac ratione non necessaria videtur, particula ἄν, de qua quid sentiam tribus verbis dicendum est. Post Reisigii commentationem de ἄν particulae vi et usu, qui hoc statuit: „ἄν particula, aliquid fieri per caussarum quandam cohaerentiam posse, indicat", Hermannus de particula ἄν docuit: „particulae ἄν ea ubique vis est, ut ad aliquam conditionem referatur, quae conditio saepe adiungitur, ubi autem non est addita, tamen cogitari debet." Multi post Hermannum in alias doctrinas inciderunt (Baeumleinium et Akenum prae ceteris nomino), quas enumerare longum est neque quidquam habet emolumenti. Probatur mihi Hermanni sententia qualem L. Lange in diariis gymn. Austriac. ann. 1858 p. 48 sqq. immutavit, qui particula ἄν condicionem quidem indicari praecepit, sed indefinitam. Itaque chorus in Lysistratae versibus voces mulierculas non emissuras fuisse pro certo affirmare non potest, etiam con-

dicione impleta nescio quibus de causis vocem mulieres servare poterant, sed coniectura id eventurum fuisse se colligere, addita particula ἄν indicat. Quoniam de rerum praeteritarum eventu, si in praesens tempus referuntur, omnino nihil certi asseverare possumus, plerumque praeteritum in apodosi horum enuntiatorum cum particula ἄν coniungitur, ubi ommissa est, eventus certus significatur. Sed redeo unde digressus sum ad originem enuntiatorum condicionalium. Principali particulae εἰ usu mutato in parataxis locum successit hypotaxis, et irrealium, quae vocant, desideriorum formula, etiamsi nulla desiderii notio cogitari posset, ad enuntiata mere condicionalia adhibita est.

Alia est condicionis forma, si ad tempus praesens, alia, si ad praeteritum pertinet, neque vero tanta utriusque seiunctio est ut non hic illic inter se permutentur. In illa indicativus imperfecti usurpatur ab Aristophane, in hac indicativus aoristi. Saepissime in utroque membro talium enuntiatorum, si ad tempus praesens referuntur, imperfecti indicativum habes, qui in apodosi particulam ἄν adscivit. Quem mente finxerunt contrarium rerum statum interdum addunt, velut Plut. vs. 582.

ὁ Ζεὺς δήπου πένεται καὶ τοῦτ' ἤδη φανερῶς σε διδάξω.
εἰ γὰρ ἐπλούτει, πῶς ἂν ποιῶν τὸν Ὀλυμπικὸν αὐτὸς ἀγῶνα,
ἀνεκήρυττεν τῶν ἀσκητῶν τοὺς νικῶντας στεφανώσας κοτινῷ στεφάνῳ;

Quamquam enuntiata condicionalia ita formata praesentis temporis sunt, tamen non deest locus, quo ad tempus praeteritum pertineat imperfectum necesse est, dico

Lys. vs. 515. κἀγὼ 'σίγων. Mul. ἀλλ' οὐκ ἂν ἐγώ ποτ' ἐσίγων.
Prob. κἂν ᾤμωζές γ', εἰ μὴ 'σίγας.

Lysistrata in depingenda misera mulierum condicione priorum temporum occupatus, quam se tolerasse ait, imperfecto usa est. Et mulieris alius et probuli verba praeteritam hanc rerum condicionem respiciunt. Librarii codicum deterioris notae aoristum (ᾤμωξας) pro imperfecto inferre studuerunt, quem iure omnes editores Ravennatis et Augustani auctoritatem secuti eiecerunt. Imperfectum cum de rebus repetitis sermo sit, satis firmatur. Nullo sensus discrimine in apodosi quinque locis aoristus positus est. Sententia condicionalis:

Equ. vs. 1276. εἰ μὲν οὖν ἄνθρωπος, ὃν δεῖ πολλ' ἀκοῦσαι καὶ κακά,
αὐτὸς ἦν ἔνδηλος, οὐκ ἂν ἀνδρὸς ἐμνήσθην φίλου·

ut hoc exemplo utar, etsi aoristum in apodosi exhibet, nihilominus ea est, ut verti oporteat: Si homo esset in vulgus notus, non facerem mentionem amici. In aliis aoristi exemplis aut apodosis temporis praeteriti est aut tota enuntiatio, illud de V. vs. 344. οὐ γὰρ ἄν ποθ' οὗτος ἀνὴρ τοῦτ' ἐτόλμησεν λέγειν, εἰ μὴ ξυνωμότης τις ἦν dicendum est, hoc in Eccl. vs. 407.

ἔγωγ' ἂν εἶπον, εἰ παρὼν ἐτύγχανον.

valet. Atque ut, quam libere has formas poeta adhibeat, cognoscas, in eiusdem comoediae vs. 422 plane eadem in causa aoristus in utroque membro legitur: εἰ δ' ἐκεῖνά γε προςέθηκεν, οὐδεὶς ἀντεχειροτόνησεν ἄν.

Praeter has duas periodi condicionalis formas rariores eas adnotare debemus, quarum aut utrumque membrum aut protasis saltem aoristum praestat. Aoristus in utroque membro quater invenitur. Atque de tribus exemplis, quae ad tempus praeteritum pertinent (V. 461 Eccl. 390. 422), nihil addi potest memorabile, quartum eo singulare est, quod tempus futurum spectat:

Eccl. vs. 190. τάλαιν', Ἀφροδίτην ὤμοσας; χαρίεντά γ' ἂν
ἔδρασας, εἰ τοῦτ' εἶπας ἐν τἠκκλησίᾳ.

Nempe Praxagora factam esse fingit contionem revera nondum habitam. Maior est exemplorum numerus, in quibus imperfecto apodosis pronuntiata est, quo praesentem plerumque rerum condicionem respiciunt, velut V. vs. 1439 εἰ ἐπίδεσμον ἐπρίω, νοῦν ἂν εἶχες πλείονα, si emisses, nunc saperes magis. Sed hic quoque aliquoties res praeteritae utroque membro significantur, quale est exemplum Acharnensium:

vs. 136. χρόνον μὲν οὐκ ἂν ἦμεν ἐν Θρᾴκῃ πολύν,
Dic. μὰ Δί' οὐκ ἄν, εἰ μισθόν γε μὴ 'φερες πολύν·
Theor. εἰ μὴ κατένιφε χιόνι τὴν Θρᾴκην ὅλην.

Plusquamperfectum uno exemplo servatur.

Thesm. vs 595. ληρεῖς· ἐγὼ γὰρ οὐκ ἂν ἦλθον ἀγγελῶν,
εἰ μὴ 'πεπύσμην ταῦτα τῶν σάφ' εἰδότων.

Temporum rationem, quam Graeci plusquamperfecto et aoristo expresserunt, addito ad protasim vocabulo „antea“

reddere possumus. Non huc pertinet Nub. vs 1347 οὗτος, εἰ μή τῳ 'πεποίθειν, οὐκ ἂν ἦν οὕτως ἀκόλαστος, quoniam ἐπεποίθειν imperfecti instar est, id quod etiam vs. 1349 ostendit. Ne huic generi desit collocationis nota, addam, ûno et viginti locis protasim apodosi praecedere, sedecim locis apodosim sequi.

In apodosi omnium quot recensuimus exemplorum indicativo iuncta erat particula ἄν, qua, cum res protasi expressa ad eventum non perducta sit, etiam conclusionem inde factam incertam esse memoriae mandatur. Nam coniectura, quid futurum fuisset, si alia res accidisset nemo fere assequi potest. Perraro simplex indicativus invenitur, quo aliquid certo eventurum fuisse aut affirmatur aut simulatur. Si verba, quibus debuisse aliquid fieri dicitur, exemeris, duobus locis Aristophaneis particula ἄν apodosi non adiuncta est, quorum alterum oblitterare, alterum non intellegere editores solent. Ex tribus locis, qui in apodosi enuntiati pleni condicionalis ἐχρῆν exhibent Pl. vs. 586 utar, ut particulam ἄν recte omissam esse appareat. Plut. vs. 586.

καίτοι χρυσῷ μᾶλλον ἐχρῆν (στεφανῶσαι), εἴπερ ἐπλούτει.

Iovem non divitem esse colligitur, quod victores oleastri ramo coronat. Quamquam, si dives esset Iuppiter, victores aurea corona redimitum iri Paupertas contendere nequit, at ipsum illud Iovis officium certum manet. Quae cum ita sint, eodem iure ἐχρῆν particulam ἄν respuit, quo duobus versibus ante adposita est (εἰ γὰρ ἐπλούτει, πῶς ἂν ἀνεκήρυττεν). Difficilius est iudicium de duobus exemplis, quae particula ἄν in apodosi carent. Primum est

V. vs. 707. εἰσίν γε πόλεις χίλιαι αἳ νῦν τὸν φόρον ἡμῖν ἀπάγουσιν.
τούτων εἴκοσιν ἄνδρας βόσκειν εἴ τις προςέταξεν ἑκάστῃ,
δύο μυριάδες τῶν δημοτικῶν ἔζων ἐν πᾶσι λαγῴοις.

In omnibus codicibus exaratum est μυριάδες, quod Dobraeus correxit in μυριάδ' ἄν. Bdelycleo, quomodo victum populo praebere possint adulatores plebis, narrat, nempe si urbibus subiectis imperarent, ut Atheniensium certum numerum alerent. Non negaverim, Dobraei lectionem, si tradita esset, sine dubio omnibus probatum iri, sed in tanto codicum consensu patrocinii munere fungi operae pretium est, cum stare posse traditam scripturam confidamus. Si distributio certissima causa erit

cur viginti milia civium in omnibus deliciis victuri sint, gravior est adulatorum, quibus de industria eam praetermissam esse exprobrat, culpa, quam si civium felicitatem distributione facta non certam (ἂν) eventuram esse dicit. Veritatis autem speciem, cum de numeris agatur, quos unicuique computare licet, eo magis captare potuit. Iam ad alterum locum venimus, qui est

R. vs. 1195. εἶτ' ἐξετύφλωσεν αὐτόν. Bacch. εὐδαίμων ἄρ' ἦν,
εἰ κἀστρατήγησέν γε μετ' Ἐρασινίδου.

In censura prologorum Aeschylus Antigonae Euripideae primos versus: Ἦν Οἰδίπους τὸ πρῶτον εὐδαίμων ἀνήρ· εἶτ' ἐγένετ' αὖθις ἀθλιώτατος βροτῶν vehementer carpit. Immo non desiit miserrimus esse Oedipus, cum recens iam editum hiberno tempore in testa exponerent, ne patris fieret interfector; deinde patre occiso matrem duxit uxorem, denique se ipsum excaecavit. His Aeschyli argumentis Bacchus suum ipsius iudicium addit. Atque primum quidem vocabulum ἄρα conclusioni inservit, quam nos saepe pluribus circumscribere necesse est: wie man jetzt sieht. Deinde ironice ponuntur Bacchi verba, quorum obscuram breviloquentiam Fritzschius explicat: beatus igitur erat (beatior futurus), si quidem etiam praetor fuisset. Verba uncis inclusa unde petierit, non apparet. Similiter Kockius interpretatur: Nun wahrlich, wenn Oedipus unter diesen Umständen noch irgendwie glücklich genannt werden kann, dann fehlte ihm zum vollen Glück nichts, als dass er auch noch mit Erasinides Feldherr gewesen wäre, qui rem non confecisse mihi videtur. Sic potius verba intellegenda esse censeo: Si Oedipus ea lege natus et adultus beatus fuit, idem beatus fuisset, si cum Erasinide praetor fuisset. Erasinidis autem collegae omnium infelicissimi homines erant, cum victoria reportata capitis damnarentur. Omissa est particula ἄν, quo fortius Euripidis prologus in risum verteretur.

Priusquam ad novum caput transeamus, quo particulam εἰ cum optativo iunctam tractabimus, de particula εἰ cum coniunctivo copulata disserendum est, quod, quoniam perpauca exempla exstant, appendicis instar hoc loco apte interponitur.

Vetus est hominum doctorum discidium, utrum toleranda sit ea constructio, an exstirpanda. Hermannus uberrime de hac quaestione egit in libris de particula ἄν p. 95 sqq., illud quidem recte statuens, ferri posse particulam εἰ cum coniunctivo constructam, sed quod de differentia adiectae et omissae particulae ἄν disputavit argutius est quam ut cuiquam probari possit. Omnino Hermanni tota disquisitio mirum quantum inanibus distinctionibus referta est, quas cum iam olim Augustus Matthiae in grammaticae graecae ed. 3 p. 1210 sq., Baeumleinius in disquisitionibus de modis verbi graeci p. 233 sqq., alii satis superque redarguerint, attrectare nihil opus est. Neque qui nuper Hermanni doctrinam paulum variatam defendit, Leop. Schmidtius, in prooemio indicis lectionum Marburg. 1868/69 p. 15 sqq., audiendus est, cuius subtilis disputatio in hac re mihi non probatur. Sed contemplemur exempla huius usus, quorum tria in Equitibus iuveniuntur, quartum in Pace.

Equ. v. 698. οὔ τοι μὰ τὴν Δήμητρά γ', εἰ μή σ' ἐκφάγω
ἐκ τῆςδε τῆς γῆς, οὐδέποτε βιώσομαι.
All. „εἰ μὴ 'κφάγῃς μ';“ ἐγὼ δέ γ', εἰ μή σ' ἐκπίω
κἂν ἐκροφήσας αὐτὸς ἐπιδιαρραγῶ.

Equ. 806. εἰ δέ ποτ' εἰς ἀγρὸν οὗτος ἀπελθὼν εἰρηναῖος διατρίψῃ
καὶ χῖδρα φαγὼν ἀναθαρρήσῃ καὶ στεμφύλῳ εἰς λόγον ἔλθῃ,
γνώσεται οἵων ἀγαθῶν αὐτὸν τῇ μισθοφορᾷ παρεκόπτου.

Pac. vs. 450. κεἴ τις στρατηγεῖν βουλόμενος μὴ ξυλλάβῃ
ἢ δοῦλος αὐτομολεῖν παρεσκευασμένος,
ἐπὶ τοῦ τροχοῦ γ' ἕλκοιτο μαστιγούμενος.

In eadem re optativum usurpavit Aristophanes Equ. vs. 694 εἰ μή σ' ἀπολέσαιμι, διαπέσοιμι πανταχῇ; saepius ἦν legitur, velut V. vs. 523 ἢν γὰρ ἡττηθῶ λέγων, περιπεσοῦμαι τῷ ξίφει et Ach. vs. 324 ἐξολοίμην, ἢν ἀκούσω· Batavi aut ἤν reposuere aut, id quod Hirschigius in Equ. vs. 806 voluit ἔλθῃ in ἐλθών mutato, futurum effecerunt. Pacis comoediae versibus praecedunt duo enuntiata eiusdem formae, in quibus εἰ c. indicativo iunctum est: vs. 444 κεἴ τις . . . σοι φθονεῖ, πάσχοι κ τ λ. et vs. 447 κεἴ τις δορυξὸς ἐπιθυμεῖ μαχῶν, ἐσθίοι. Meinekius ξυλλάβοι vs. 450 proposuit, quo recepto nihil lucramur, cum modorum

diversitas nulla sententiarum varietate facta maneat. Neque Schmidtii neque Batavorum errorem refutando tempus teram, cum aliis dicendi formis haec constructio firmari atque stabiliri possit. Primum enim pronomen relativum cum coniunctivo iunctum plerumque particulam ἄν adscivit, cuius omissae particulae quattuor apud Aristophanem exempla inveniuntur: Av. 928. Lys. vs. 1201 (ubi vulgo ex Bothii coniectura χἄττ' ἄν legitur) Eccl. vs. 687 R. vs. 1163. Deinde plus semel πρίν c. coniunctivo ab Aristophane pro usitato πρὶν ἄν c. coniunctivo usurpatur, de quo vide Kockii adnotationem ad Ran. vs. 1281. Omnium harum formarum ratio prorsus eadem est neque invitis libris manuscriptis tot locos corrigere licet non solum Aristophanis sed etiam Aeschyli, Sophoclis, Euripidis nisi ei qui et rationi sanae et sermonis graeci naturae refragari coniunctivum omissa particula demonstraverit. Cum hanc demonstrationem non viderim, satius est, codicum auctoritatem sequi quam scriptores ad fictam dicendi normam purgare. Inde ab Homeri aetate nudae particulae εἰ cum coniunctivo copulatae usus rarior est, quippe cum ἐάν eius locum obtineret, sed senescente lingua Graeca, Byzantinorum aetate, haec constructio in cotidianum usum abiit.

II. Enuntiata condicionalia, quae εἰ particula cum optativo copulata formantur.

Solent grammatici post enuntiata condicionalia, quae particula εἰ cum indicativo iuncta introducuntur, tractare ea, quae a composita particula ἐάν (εἰ ἄν) ἤν, κἄν incipiunt; deinde redeunt ad εἰ particulam cum optativo iunctam. Sed quamquam modorum diversitas maximi momenti ad secernenda enuntiatorum genera est, tamen, cum et origini proprius sit hoc genus enuntiatorum condicionalium optativo positorum et simplicis particulae εἰ ante compositae usum tractare haud ineptum videatur, inversum ordinem servabimus.

Optativo significantur ea, quae sola mente et cogitatione eius qui loquitur continentur, neque cum particula εἰ coniunctus

de hac vi quidquam perdidit. Particula εἰ cum optativo copulata nulla effectus ratione habita rem in sola mente positam esse exprimitur. Originis optativae enuntiatorum condicionalium, quae minuta vestigia manserunt, in exordio huius opusculi commemoravimus. Quoniam res ita prolatae ad tempus praesens et futurum plerumque pertinent, apodosi et ipsi optativo efferendae particula ἄν, qua rem ex indefinita condicione pendere monemur, addita est. Optativo socia particula ἄν, qui modeste iudicium de aliqua re proferunt utuntur. Cum Graeci, qua erant urbanitate, etiam quas certo scirent res extenuarent, pervulgata est huius locutionis consuetudo. Atque saepius in hoc enuntiatorum condicionalium genere ex apodosi protasis vim ita recepit, ut, si in apodosi illa iudicantis formula adhiberetur etiam protasis eodem modo formaretur. Eodem concinnitatis studio Aristophanes modos exaequavit, si in apodosi nudus optativus, qui est optantis, adhibetur. Optativum positum esse nulla de causa nisi propter apodosis formam existimo in Ran. vs. 532: ἴσως γάρ τοί ποτε
ἐμοῦ δεηθείης ἄν, εἰ θεὸς θέλοι
quo uno loco formula ἢν θεὸς θέλῃ (Pac. vs. 1187 Plut. vs. 347. 1188.) mutata est, nisi forte εἰ θεὸς θέλοι optantis esse velis totumque enuntiatum exemplum transitus optativae enuntiationis ad condicionalem habeas. Eodem modo

Ran. vs. 1446. εἰ τῶν πολιτῶν οἷσι νῦν πιστεύομεν,
τούτοις ἀπιστήσαιμεν, οἷς δ' οὐ χρώμεθα
τούτοισι χρησαίμεσθ', ἴσως σωθεῖμεν ἄν.

postquam sententiam de civitatis salute vs. 1443 deprompsit: ὅταν τὰ νῦν ἄπιστα πίσθ' ἡγώμεθα, τὰ δ'ὄντα πίστ' ἄπιστα planius et explicatius refert per εἰ.

Si plena huius formae enuntiata perlustraveris tempus praesens et aoristum una adhiberi in utroque membro invenies, sed aoristi usus multo frequentior est, septemdecim locis in protasi, viginti locis in apodosi habetur quibus opponuntur praesentis exempla in protasi undecim, octo in apodosi. Quod si quantum differat, hoc an illud tempus inveniatur, quaeris, differentiam ego fere nullam sensi.

R. vs. 585. κἄν εἴ με τύπτοις, οὐκ ἂν ἀντείποιμί σοι

Pl. vs. 510. εἰ γάρ ὁ Πλοῦτος βλέψειε πάλιν διανείμειέν τ' ἴσον αὑτὸν,
οὔτε τέχνην ἂν τῶν ἀνθρώπων οὔτ' ἂν σοφίαν μελετῴη.

Verberandi actio non minus praecedat necesse est obloquendi actioni, quam cernendi facultas hominum desidiae. In utraque sententia particula ἄν repetitur, quae repetio, ut negationum, in parte sententiae, id quod in alterum exemplum cadit, frequentissima est, sed rarissime in protasim truditur repetita particula, quae est apodosis. Apud Aristophanem huius usus consopitae particulae ἄν, quem in formula ὥσπερ ἂν εἰ (ab Aristophane non adhibita) animadvertunt grammatici, alterum exemplum exstat in Lys. vs. 113.

ἐγὼ μὲν ἂν (καταλύσαιμι τὸν πόλεμον) κἂν εἴ με χρείη τοὔγκυκλον
τουτὶ καταθεῖσαν ἐκπιεῖν αὐθημερόν.

Ceterum in hoc genere totidem praepositivae quot postpositivae apodosis exempla leguntur.

Quamquam in omnibus condicionalium enuntiatorum, quae recensuimus, generibus hoc illudve exemplum ita comparatum erat, ut altera persona protasim altera apodosim pronuntiaret, tamen in hoc genere saepius accidit, ut aut apodosis verbum omittatur (ex alterius sermone repetendum) aut inter duas personas dividatur oratio. Est haec non vilissima ratio qua comicus praeter exspectationem et lepidissimas res inducit et orationem vividiorem reddit. Plerumque iudicio, quod quis optativo cum ἄν iuncto profert, alter condicionem adicit, quo fit, ut altero loco fere semper protasis condicionalis ponatur, velut. Pl. vs. 1036. An. διὰ δακτυλίου μὲν οὖν ἐμέ γ' ἂν διελκύσαις.
Chr. εἰ τυγχάνοι γ' ὁ δακτύλιος ὢν τηλία.

Particula γε affirmative huic membro addita est, cuius vis nostro sermone praeposita voce „ja“ exprimitur. Apodosis ex alterius sermone formanda est:

Nub. vs. 749. γυναῖκα φαρμακίδ' εἰ πριάμενος Θετταλὴν
καθέλοιμι νύκτωρ τὴν σελήνην, εἶτα δὲ
αὐτὴν καθείρξαιμ' ἐς λοφεῖον στρογγύλον,
ὥσπερ κάτοπτρον, κᾆτα τηροίην ἔχων,
Socr. τί δῆτα τοῦτ' ἂν ὠφελήσειέν σ'; Str. ὅτι;
εἰ μηκέτ' ἀνατέλλοι σελήνη μηδαμοῦ,
οὐκ ἂν ἀποδοίην τοὺς τόκους.

Kockius ad vs. 749 scribit: der Nachsatz folgt 755, quod fieri nullo pacto potest. Strepsiades non aliter orationem claudere in animo habuit nisi: hoc mihi prodesset, sed Socratis stupore nova disciplini sapientia excitato interrumpitur orationis tenor, quem si integrum restituere velis, utique ex Socratis verbis τοῦτ' ἂν ὠφελήσειέν με eliciendum est. Ad alterum genus omissi verbi quod in apodosi scribendum erat traducimur:

Pac. vs. 710. ἆρ ἂν βλαβῆναι διὰ χρόνου τί σοι δοκῶ,
ὦ δέσποθ' Ἑρμῆ, τῆς Ὀπώρας κατελάσας;
Merc. οὔκ, εἴ γε κυκεῶν' ἐπιπίοις βληχωνίαν.

Quattuor locis (Ach. 966. N. 108. V. 297. Pl. 924.) apodosis sola negatione adsumpta particula ἄν formatur; verbum supplendum in tribus exemplis non optativo praecedit. Particula εἰ semper in his exemplis γε adscivit et concessivum sensum habet. Huc quoque referendus est Lysistratae versus 113 quem supra allegavimus. De apodosis verbo supplendo nulla adhuc dubitatio erat; sunt vero loci quibus nullum omnino verbum in versibus qui antecedunt positum sit, ad apodosim quod pertineat. Aliis locis λέγοις, aliis γένοιτο editores ad complendam apodosim proponunt, sed neutro opus est. Exempli gratia λέγοις supplent:

Lys. vs. 399. τί δῆτ' ἄν, εἰ πύθοιο καὶ τὴν τῶνδ' ὕβριν;

γένοιτο: Thesm. vs. 773. τί δ' ἄν, εἰ ταδὶ τἀγάλματ' ἀντὶ τῶν πλατῶν
γράφων διαρρίπτοιμι;

Sed cum a ratione sermonis graeci non alienum sit, adiectiva, adverbia, alia vocabula praedicati loco adhiberi, id in his exemplis statuere licet. Non magis Graecos ellipsim sensisse puto quam nos vertentes: Wie vollends, erfährst du ihren neuen Frevel erst (Droysen). Eiusdem generis sunt N. vs. 154 et 769. Quod persaepe factum est, ut quae singulari modo dicerentur corrupta putarentur et a criticis tollerentur, etiam in hac re accidit. Lys. vs. 307 traditur:

οὐκοῦν ἄν, εἰ τὼ μὲν ξύλω θείμεσθα πρῶτον αὐτοῦ,
τῆς ἀμπέλου δ' ἐς τὴν χύτραν τὸν φανὸν ἐγκαθέντες
ἅψαντες εἶτ' ἐς τὴν θύραν κριηδὸν ἐμπέσοιμεν;

Blaydesius in voce οὐκοῦν (sive οὔκουν quod Brunckio auc-

tore vulgo edunt) offendit et nulla ratione allata τί δῆτ' ἄν requiri ponit; nempe ex illius sententia cum ter τί δῆτ' ἄν usurparet, non licuit quarto loco alia dicendi formula uti. Nos contra singularem sane apodosis rationem, cuius aliud exemplum neque apud Aristophanem neque apud alios scriptores habemus, servandam esse censemus. Priores interpretes, qui falso οὔκουν ἂν ἐμπέσοιμεν apodosim esse putabant, protasis membra particulis μέν — δέ arcte coniungi non viderunt. Optativus aoristi in protasi ita praevalet ut in tredecim exemplis reperiatur, optativus praesentis quater exstat.

Quod aequabilitatis studio poetam modos exaequasse supra diximus (p. 7), imprimis ex ea huius generis enuntiatorum specie cognoscitur, quae in apodosi optativum simplicem exhibet. Etiam in priore capite plura optativi in apodosi exempla adnotavimus, quorum protasis indicativum servavit (ut Equ. vs. 400 εἴ σε μὴ μισῶ, γενοίμην ἐν Κρατίνου κῴδιον); nunc utrumque membrum optativo profertur, cuius in protasi nullam causam perspicimus nisi concinnae orationis studium. Cum ex Ach. vs. 476. κάκιστ' ἀπολοίμην, εἴ τί σ' αἰτήσαιμ' ἔτι. tum ex Equ. vs. 694. εἰ μή σ' ἀπολέσαιμ', εἴ τι τῶν αὐτῶν ἐμοὶ
ψευδῶν ἐνείη, διαπέσοιμι πανταχῇ.
haec ratio apparet Paphlago veterum mendaciorum sibi aliquid inesse non ignorat neque condicionis forma in dubium vocare vult, immo asseverationem graviorem addit, quae nisi subiecta esset alteri condicioni εἰ μή σ' ἀπολέσαιμ', quae et ipsa ex apodosis forma pendet, indicativo ponenda erat: εἴ τι τῶν αὐτῶν ἐμοὶ ψευδῶν ἔνεστι.

Difficilius indicium est, si nudus optativus, qui optantis esse non potest, in apodosi ponitur, quod uno loco fit:
Equ. vs. 1056. καί κε γυνὴ φέροι ἄχθος, ἐπεί κεν ἀνὴρ ἀναθείῃ,
ἀλλ' οὐκ ἂν μαχέσαιτο · χέσαιτο γάρ, εἰ μαχέσαιτο·
Versus ex parva Iliade sumpti a virgine pronuntiantur, quae Ulixi palmam debere Minerva suadente istis verbis demonstrat. Aristophanes, ne desit consueta cavillatio, de suo addidit: χέσαιτο γάρ, εἰ μαχέσαιτο, in quo primum formam χέσαιτο verborum lusus causa fictam esse apparet, ut χαίρομαι in Datidis carmine Pac. vs. 291. Hermannus de part. ἄν p. 16 χέσαιτο

optativum opinionem indicare statuit, quo nihil proficimus. Melius Baeumleinius in libro de modis verbi graeci (p. 379) sic rem expedivit: Indess kann ἄν bei dem Optativ selbst da wegfallen, wo der Folgesatz nicht mit dem vorhergehenden zusammengehört, sofern nur dem Hörer oder Leser zugemutet werden kann, dass ihm das vorangegangene ἄν noch gegenwärtig ist. Adiuvant hanc explicationem vss. Nub. 426
οὐδ' ἂν θύσαιμ', οὐδ' ἂν σπείσαιμ', οὐδ' ἐπιθείην λιβανωτόν.
et Ran. 572. ὡς ἡδέως ἄν σου λίθῳ τοὺς γομφίους
κόπτοιμ' ἄν
Caup. II. ἐγὼ δέ γ' ἐς τὸ βάραθρον ἐμβάλοιμί σε.

Inter varias apodosis formas frustra apud Aristophanem indicativi praesentis vel futuri exemplum requiras. Possint huc referri:
Lys. vs. 1111. ἀλλ' οὐχὶ χαλεπὸν τοὔργον, εἰ λάβοι γέ τις
ὀργῶντας ἀλλήλων τε μὴ 'κπειρωμένους. et
Eccl. vs. 646. πολὺ μέντοι δεινότερον τούτου τοῦ πράγματός ἐστι
Blep. τὸ ποῖον;
Prax. εἴ σε φιλήσειεν Ἀριστύλλος φάσκων αὐτοῦ πατέρ' εἶναι.
Blep. οἰμώζοι γ' ἂν καὶ κωκύοι.
Sed in illis versibus adiectivum praedicative poni melius statuitur, hic quippe cum oratio interrumpatur, utriusque enuntiati condicionalis membri relatio non eadem est atque si uno tenore verba pronuntiarentur. Recentiores editores, quod Blepyrus vs. 644 εἰ δὲ προςελθὼν Επίκουρος ἢ Λευκολόφας πάππαν με καλεῖ, τοῦτ' ἤδη δεινὸν ἀκοῦσαι dicit, ut eadem esset particulae εἰ constructio vs. 647 sive φιλήσει τις sive φιλήσει χ' proposuerunt. Quamquam recepta hac coniectura apodosis tempore praesenti positae exemplum non iam reperitur, tamen scrupulum mihi iniciunt quae sequuntur verba: οἰμώζοι γ' ἂν καὶ κωκύοι, quae et ipsa apodosis loco versui praecedenti adiecta sunt.

Accedimus ad novam huius generis speciem quae ad exprimendas actiones iteratas adhibetur, eam scilicet, cuius in apodosi tempus historicum sive nudum sive cum particula ἄν consociatum usurpatum est. Atque primum quidem ea enuntiata contemplemur, quae imperfectum in apodosi habent.

Optativus protasis condicionalis in his enuntiatis nihil de sua notione, qua aliquam rem factam esse ponitur, abiecit, iterationis vim ex sola apodosis forma concludimus, cum aut rerum natura aut imperfecti significatione apodosis actionem repetitam esse appareat. Nativus membrorum ordo semper servatur exceptis Equ. vs. 606 sq., qui iidem propter praesens tempus in protasi collocatum insignes sunt.

Equ. vs. 606. ἤσθιον δὲ τοὺς παγούρους ἀντὶ ποίας Μηδικῆς,
εἴ τις ἐξέρποι θύραζε, κἀκ βυθοῦ θηρώμενοι.

Apud Aristophanem solum Av. vs. 508 alterum exemplum praesentis in talium enuntiatorum protasi habetur. Cum imperfecto in apodosi uno loco plusquamperfectum coniunctum est, Ach. vs. 520 sq. Quoniam apud grammaticos et Aristophanis commentatores — ut de Richtero et Blaydesio taceam, ipse Alb. Muellerus in commentario ad Ach. vs. 520 errat — adnotatur saepius particulam ἄν apodosi addi, non ab huius opusculi consilio absonum videtur referre, octo locis particulam ἄν omissam, sex locis apodosi additam esse. Si particula ἄν verbo addita est, imperfectum et aoristus nullo discrimine inveniuntur. Differt hic dicendi usus ab altero hoc tantum, quod non semper et necessario rem apodosi significatam protasis condicione impleta evenisse dicunt, sed ex aliis condicionibus indefinitis eventum pependisse. Sed ne hanc differentiam nimiam credamus ex vetulae adolescentulum amatorem describentis oratione docemur, quae modo addit particulam, modo omittit:

Plut. vs. 977. εἰ γάρ του δεηθείην ἐγώ,
ἅπαντ' ἐποίει κοσμίως μοι καὶ καλῶς.
vs. 1010. καὶ νὴ Δί' εἰ λυπουμένην αἴσθοιτό με,
νηττάριον ἂν καὶ φάβιον ὑπεκορίζετο.

Huius generis protasis optativum praesentis non exhibet nisi Eq. vs. 1350. Num huc referendi sint

Lys. vs. 1236. νυνὶ δ' ἅπαντ' ἤρεσκεν · ὥστ' εἰ μέν γέ τις
ᾄδοι Τελαμῶνος 1238. ἐπῃνέσαμεν ἂν καὶ προςεπιωρκήσαμεν,

haereo. Cum scolia non vere cantata significentur, fortasse exemplum optativi in re non facta usurpati habemus, cuius loco imperfecti sive aoristi indicativum poni solere vidimus.

Certius de altero huius usus exemplo admodum memorabili iudicare possumus. Cum in parabasi tum in parabasis epirrhemate et antepirrhemate poetis ἔθος χρηστὰ συμβουλεύειν τῇ πόλει. Itaque, si aut fabulosam vitam spectatoribus expetendam depingit aut civitatis mores proposita melioris vitae imagine emendare studet, poeta condicionis non impletae formis utatur necesse est, id quod luculentissime ex Av. vs. 785 apparet. Optativum Thesmophoriazusarum in parabasi habes.

vs. 832. χρῆν γάρ, ἡμῶν εἰ τέκοι τις ἄνδρα χρηστὸν τῇ πόλει,
προεδρίαν αὐτῇ δίδοσθαι κτλ.

Quo magis optativum imperfecti more positum esse eluceat, ex Pacis parabasi adponam:

vs. 734. χρῆν μὲν τύπτειν τοὺς ῥαβδούχους, εἴ τις κωμῳδοποιητὴς
αὑτὸν ἐπῄνει.

Postquam varias apodosis formas enumeravimus atque illustravimus, proximum est ut de optativo in protasi cum ἄν constructo dicamus. Librorum memoria unum exemplum traditum est:

Nub. vs. 1183. οὐκ ἂν γένοιτο; Ph. πῶς γάρ; εἰ μή πέρ γ' ἅμα
αὑτὴ γένοιτ' ἂν γραῦς τε καὶ νέα γυνή.

quod de structurae ratione non quaerentes certatim delent. De ἕνῃ καὶ νέᾳ agit Phidippides, quae fieri non possit, et Strepsiadi miranti rem exemplo probat. Optativus in enuntiato condicionali potentialis, qui vocatur, est, quo rem poni significatur. Cui si particula ἄν additur, ipsius sententiae fides deminuitur. Egregie igitur huic loco aptam esse singularem constructionem, nemo est quin intellegat. Sed etiam alia ratione optativus cum ἄν firmatur. Phidippides verba sic efferre potuit: εἰ μή πέρ γ' ἅμα αὕτη γίγνεται κτλ, in quibus si γίγνεται per γένοιτ' ἄν circumscripseris, traditam codicum scripturam habebis.

Denique disserendum est de iis enuntiatis condicionalibus, quae aut obliquae orationi inserta sunt aut enuntiatis finalibus subiecta. Pauca tantum exempla huius generis apud Aristophanem exstant, quod ita explicant grammatici, ut εἰ cum optativo positum esse pro ἐάν cum coniunctivo orationis rectae

et liberae dicant. Neque iniuria, si sermonis usum respicimus, sic statuunt. Duobus locis enuntiato finali subiectae sunt condiciones (R. 108 Lys. 753). Saepius ex oratione tempore historico prolata condicionalia enuntiata pendent, velut Equ. vs. 660. Eccl. 193. Quam particulae εἰ c. optativo constructae causam in his enuntiatis posuerunt, maxime propter ἄν in apodosi desideratum acceptam esse existimo. Sed si optativi vim et naturam recte designavimus, nobis non iam opus est illa modorum permutatione. Cum rem mente et cogitatione agitatam esse in tempore praeterito narret is qui loquitur, optativum sua et propria vi adhibet.

III. Enuntiata condicionalia, quae ἐάν particula cum coniunctivo iuncta formantur.

Coniunctivus est modus voluntatis quo, si quid fieri iubemus aut optamus saltem, utimur. Particulam εἰ cum coniunctivo constructam eandem coniunctivi notionem retinere ex iis, quae sequuntur, apparebit. Inde ab Homeri temporibus particula εἰ non mera cum coniunctivo iungitur, sed maximam partem cum particula ἄν consociata. Atque tam firma haec utriusque vocabuli structura facta est, ut ex εἰ et ἄν coagmentata, nova evaderet sermonis Graeci vox ἐάν. Sed cum apud Homerum forma ἐάν nusquam, semper aut forma contracta ἤν aut εἰ ἄν, εἴ κε (αἴκε) legatur apud scriptores atticos ἐάν et ἤν nullo discrimine habentur, quibus quarto a. C. n. saeculo forma ἄν accessit. Etsi quamnam formam scriptores attici aut adamaverint aut respuerint editores et grammatici adnotare omittunt et rem levis momenti esse facile concedo, tamen ne tales quidem minutias indagare, is qui de universa sermonis indole scriptoris cuiusdam inquirit, praetermittet. In Aristophanis codicibus praeter ἐάν et ἤν paucissimis locis ἄν forma habetur, velut Av. vs. 53 Lys. vs. 901. 902. Thesm. vs. 154, quam adsententibus omnibus editoribus Dindorfius exstirpavit. Emendatis his locis apud Aristophanem ducenta duodeviginti exempla in quibus particula ἤν usurpatur exstant, undesexaginta exempla

particulae ἐάν numerantur; maior foret numerus locorum, quibus ἤν invenitur, si periodorum condicionalium unumquodque membrum in computationem vocaremus, ut exempli causa ex Eccl. vs. 799:

Vir I οἴσουσιν, ὦ τᾶν. Vir II. ἢν δὲ μὴ κομίσωσι, τί;
Vir I ἀμέλει, κομιοῦσιν. Vir II. ἢ δὲ κωλύσωσι, τί;
Vir I μαχούμεθ' αὐτοῖς. Vir II. ἢν δὲ κρείττους ὦσι, τί;
Vir I ἄπειμ' ἐάσας. Vir II. ἢν δὲ πωλῶσ' αὐτά, τί;
Vir I διαρραγείης. Vir II. ἢν διαρραγῶ δέ, τί;

quinque particulae ἤν loci promi possunt. Exemplorum ratio, si numerum spectamus, in omnibus comoediis tantum abest ut par sit, ut progrediente aetate poetae crescere formae ἤν adhibitae exempla animadvertere liceat. Per triginta septem annos Aristophanis comoediae, quae quidem exstant, in scenam demissae sunt, neque quisquam hoc spatio fieri potuisse, ut sermonis usus variaret, negaverit. Si quis apud alios huius saeculi scriptores eandem rationem statuendam esse docuerit, confidentius quam nunc de formarum ἐάν et ἤν usu iudicare poterimus. Sed ut numeris meam sententiam stabiliam, duas priores fabulas, Acharnenses et Equites (a. 425 et 424 a. C. n. actas) cum ultimis, Ecclesiazusis et Pluto (anno 389, secundum Goetzium, et a. 388 actas) comparabo. In Acharnensibus ἐάν sex locis habetur, forma ἤν quinque locis. In Equitibus numerus enuntiatorum ab ἐάν et ἤν incipientium altero tanto maior est, sed eorum ratio contraria est atque in Acharnensibus, decem locis ἐάν, duodecim ἤν traditur. Formae ἤν usus longe praevalet in Ecclesiazusis ut ex quadraginta quattuor locis, duobus tantum ἐάν a poëta adhibita sit, cum ex Acharnensium ratione viginti quattuor locis ἐάν tradi exspectaveris. In Pluto denique annis viginti post primam actionem retractata quod decem locis ἐάν, viginti duobus ἤν scriptum est, non minus ad firmandam nostram opiniorem valet, praesertim cum non recta via sermonis formae admodum pares eliminentur.*)

*) Haec scripseram, cum confirmari meam sententiam viderem tragicorum usu; nam apud tragicos graecos variat utriusque formae usus ita, ut apud Aeschylum particula ἐάν praevaleat, apud Euripidem ἤν sola fere usurpetur, apud Sophoclem utraque formae aeque frequens sit.

Raro metri causa in uno enuntiato varias particulae formas coniunxit poeta, velut:

N. vs. 484. ἢν μέν γ' ὀφείληταί τί μοι, μνήμων πάνυ,
ἐὰν δ' ὀφείλω, σχέτλιος, ἐπιλήσμων πάνυ.

Eccl. vs. 1097. νὴ τὴν Ἑκάτην, ἐάν τε βούλῃ γ', ἤν τε μή.

Denique ne copulae cum particula ἐάν consociationem omittamus, omnibus fere locis κἄν traditum servatur, aut ubi in codicibus κἤν exaratum est (ut Ach. vs. 717. et Pl. vs. 196), restituitur. Unus Blaydesius ad Lys. vs. 1055, quoniam κἄν valet καὶ ἄν, ubi καὶ ἐάν necesse est, rectius scribi κἤν censet.

Convertamus nos ad usum particulae ἤν (ἐάν). Coniunctivi primitiva notio accedente particula ἄν paulum debilitatur. In enuntiatis condicionalibus, quae per ἐάν formantur, coniunctivus desiderio sive exspectationi inservit. Quae cum ita sint ad tempus praeteritum hoc genus referri nequit. Coniunctivus uno loco excepto (Av. vs. 554) semper aut praesentis aut aoristi est, qui quomodo differant haud facile intellegitur, cum non omnibus locis aoristi vis perspicua sit. Quae supra de aoristi imperativo grammaticorum iudicia allegavimus hoc loco de coniunctivo repetere inutile est, quorum nullum in omnia exempla quadrat. Ernesti autem disputatio: „de usu aoristi et praesentis coniuntivi in enuntiatis relativis, condicionalibus, temporalibus". Marburgi anno 1873 edita, nihil affert. Simplicem explicationem aoristus habet in Av. vs. 1606.

οὐ γὰρ μεῖζον ὑμεῖς οἱ θεοὶ
ἰσχύσετ', ἢν ὄρνιθες ἄρξωσιν κάτω; [ὧν περινοστῇ,

si aves dominationem terrae adeptae erunt. Eadem ratione in

Pl. vs. 494. ἢν γὰρ ὁ Πλοῦτος νυνὶ βλέψῃ καὶ μὴ τυφλὸς
ὡς τοὺς ἀγαθοὺς τῶν ἀνθρώπων βαδιεῖται.

aoristus et praesens suam notionem servant; aoristo significatur

---

Secundum Winterum „de modorum in enunciatis conditionalibus apud tragicos graecos usu" reperitur

	ἐάν	ἤν	κἄν
apud Aeschylum	8	3	1
Sophoclem	22	28	19
Euripidem	11	176	83, quibus addo numeros:
apud Aristophanem	59	218	54.

deum visum recuperaturum esse, praesenti consuetudo dei persanati depingitur. Inter utriusque temporis coniunctivum cum facilius quid intersit cognoscatur, si eiusdem verbi et aoristi et praesentis exemplum exstat, ex Aristophanis comoediis septem eiusmodi exempla collegi, quae nunc proferam. Primum est;

V. vs. 539. τί γὰρ φάθ' ὑμεῖς, ἢν ὁδί με τῷ λόγῳ κρατήσῃ;
vs. 1514. σὺ δὲ 1515. ἅλμην κύκα τούτοισιν, ἢν ἐγὼ κρατῶ.

Et hic et illic victoria ab adversario certo reportanda intellegitur neque, quomodo differat utriusque victoriae condicio, video. Eiusdem comoediae alterum exemplum traditur

vs. 684. σοὶ δ' ἤν τις δῷ τοὺς τρεῖς ὀβολούς, ἀγαπᾷς.
vs. 693. ἤν τίς τι διδῷ τῶν φευγόντων, ξυνθέντε τὸ πρᾶγμα δύ' ὄντε ἐσπουδάκατον.

Philocleonis et adversariorum adulatorii mores describuntur. Non potest aoristus de re semel facta accipi propter praesens adpositum ἀγαπᾷς et ipse conexus hanc interpretationem evertit. Etiam hoc loco coniunctivi διδῷ et δῷ pares sunt significatione. Rectius Hermanni definitio, praesens rem durantem vel saepius repetitam, aoristus rem absolutam aut semel factam indicare usurpari potest de his versibus:

Nub. vs. 501. ἢν ἐπιμελὴς ὦ καὶ προθύμως μανθάνω,
τῷ τῶν μαθητῶν ἐμφερὴς γενήσομαι;

V. vs. 514. ἀλλ' ἐὰν σιγῶν ἀνάσχῃ καὶ μάθῃς ἁγὼ λέγω,
ἀναδιδάξειν οἴομαί σ' ὡς πάντα ταῦθ' ἁμαρτάνεις.

cum Strepsiades quaque occasione oblata et quoad in Socratis disciplina sit, diligentem se futurum esse polliceatur, Bdelycleo vero audientiam sibi tribui velit ut patris stultitiam ostendat. Rem semel faciendam coniunctivo et aoristi et praesentis significari apparet in Avium,

vs. 53. εἰσόμεθα δ' αὐτίκ', ἢν ποιήσωμεν ψόφον.
vs. 977. κἢν μὲν . . . ποιῇς ταῦθ' ὡς ἐπιτέλλω,
αἰετὸς ἐν νεφέλῃσι γενήσεαι.

Coniunctivus in oraculo lepide ficto eo magis animadvertendus est, cum subsequatur: αἰ δέ κε μὴ δῷς, οὐκ ἔσει κτλ. Adnecto reliqua tria exempla, in quibus numquid intersit, nemo non sentit:

Equ. 798. τοῦτον δεῖ ποτ' ἐν Ἀρκαδίᾳ πεντωβόλου ἡλιάσασθαι, ἢν ἀναμείνῃ.
Pl. 112. σοὶ δ' ὡς ἂν εἰδῇς ὅσα, παρ' ἡμῖν ἢν μένῃς,
γενήσετ' ἀγαθά, πρόσεχε τὸν νοῦν.
Av. 1597. νῦν τ' ἐθέλομεν, εἰ δοκεῖ,
ἐὰν τὸ δίκαιον ἀλλὰ νῦν ἐθέλητε δρᾶν, σπονδὰς ποιεῖσθαι
Lys. 527. ἢν οὖν ἡμῶν . . . . ἐθελήσητ' ἀντακροᾶσθαι
κἀντισιωπᾶν ὥσπερ χ' ἡμεῖς, ἐπανορθώσαιμεν ἂν ὑμᾶς.
P. vs. 140. τί δ', ἢν ἐς ὑγρὸν πόντιον πέσῃ βάθος;
πῶς ἐξολισθεῖν πτηνὸς ὢν δυνήσεται;
Thesm. 269. βάδιζε τοίνυν Mn. μὰ τὸν Ἀπόλλω οὔκ, ἤν γε μὴ
ὀμόσῃς ἐμοὶ Eur. τί χρῆμα; Mn. συσσώσειν ἐμὲ
πάσαις τέχναις, ἢν μοί τι περιπίπτῃ κακόν.

Perlustravimus eiusdem aut similis verbi varias formas; neque vero desunt exempla quorum in eodem sermonis tenore aoristus excipiat praesens tempus atque frustra discrimen utriusque temporis statuitur, dico locos velut:

Equ. vs. 276. ἀλλ' ἐὰν μὲν τόνδε νικᾷς τῇ βοῇ, τήνελλος εἶ·
ἢν δ' ἀναιδείᾳ παρέλθῃ σ, ἡμέτερος ὁ πυραμοῦς.

latine utrumque reddendum est: viceris et vicerit. aut

N. vs. 1445. τί δ' ἢν ἔχων τὸν ἥττω
λόγον σε νικήσω λέγων.
1448 Str. τί δ' ἄλλο γ' ἤ, ταῦτ' ἢν ποιῇς,
οὐδέν σε κωλύσει κτλ.

quorum vellem Cobetus memor fuisset, qui saepissime (etiam Av. vs. 977 et 1078.) temporum concinnitatem vi magna restituit. Cum grammaticorum legibus passim scriptorum locos repugnare vidissem de industria operam collocavi in colligendis his exemplis, e quibus appariturum esse spero, utriusque temporis coniunctivum saepissime nullo discrimine poni.

Condicionalia huius generis enuntiata ad res futuras referuntur, quae quales sint, experientia docemur. Cum in eadem fere rerum causa versentur enuntiata condicionalia ab particula εἰ cum futuro incipientia, interdum altera forma alteram sequitur. Itaque in altercatione inter Cleonem et allantopolam facta Cleo minatur Equ. vs. 288.

διαβαλῶ σ', ἐὰν στρατηγῇς. sed idem altera forma utitur:
vs. 294. διαφορήσω σ', εἴ τι γρύξεις.

Utriusque formae differentia a Kuehnero (p. 776) in eo ponitur, quod per εἰ c. ind. fut. die Bedingung als ein in der Zukunft wirklich Eintretendes bezeichnet wird, per ἐάν c. coni. autem die Bedingung als eine solche gesetzt wird, deren Eintreten in die wirkliche Erscheinung bloss angenommen oder erwartet wird. Sed si discrepantia statuenda est, per εἰ c. ind. fut. condicionem meram nullo loquentis affectu pronuntiari censeo, per ἐάν c. coni. is qui loquitur, exspectare se rem eventum habituram esse, significat. In Nubium

vs. 999. εἰ ταῦτ', ὦ μειράκιον, πείσει τούτῳ, νὴ τὸν Διόνυσον
τοῖς Ἱπποκράτους υἱέσιν εἴξεις.

ἄδικος λόγος adolescentem ab iusti disciplina avertere studet. Justus vero suae disciplinae virtutem vs. 1009 sic praedicat:

ἢν ταῦτα ποιῇς, ἁγὼ φράζω,
1111. ἕξεις ἀεὶ στῆθος λιπαρόν.

Priusquam varias apodosis formas contemplemur, unum exemplum commemorare placet, in quo ἤν particula cum coniunctivo iuncta poeta usus est de re, quam nullo modo fieri potuisse sponte patet:

Av. vs. 1073. ἢν ἀποκτείνῃ τις ὑμῶν Διαγόραν τὸν Μήλιον
λαμβάνειν τάλαντον, ἤν τε τῶν τυράννων τίς τινα
τῶν τεθνηκότων ἀποκτείνῃ, τάλαντον λαμβάνειν.

Quod saepius animadvertimus, ironia commotum Aristophanem inusitatam verborum constructionem adhibuisse, cui absque ironia locus non erat, atque eo acerbius hominum stultitiam exagitasse, etiam in hunc locum cadit. Namque Atheniensium promulgationes de Hermocopidis, quales tunc temporis Athenis vigebant, tam irritas esse dicit, quam si quis tale quid pronuntiaret: si quis mortuorum tyrannorum (Pisistratidarum) quempiam occidat, talentum accipiat, cui praeconium avium multo splendidius opposuit.

Iam ad apodosis formas perventum est, quae in hoc enuntiatorum condicionalium genere non tanta varietate sunt quanta in priore. Ne protasis et apodosis collocationem ubique indicare cogar, hoc loco adnoto, quam legitimam membrorum collocationem esse diximus, ut praecedat protasis, apodosis illam sequatur, plerumque servatam esse. Si par-

ticulae ἐάν cum copula καί coniunctionem omittimus, quae, nisi concessiva est, semper priore loco habetur, enuntiatorum condicinalium per ἐάν (ἥν) introductorum centum sexaginta quinque exempla ita comparata sunt, ut protasis praecedat, in centum duodecim exemplis apodosis priorem locum occupavit. Longe praevalet in horum enuntiatorum apodosi indicativus futuri, cum id tempus a protasi et ipsa in futuro collocata minime abhorreat. De significatione iis, quae de exspectatione in his enuntiatis expressa diximus, nihil addendum est. Praeter indicativum futuri in apodosi praesentis indicativus saepe exstat. Atque ea potissimum forma, si de rebus iteratis agitur, Aristophanes usus est, cuius certum exemplum desideratur in ea specie quae futurum in apodosi exhibet, nisi forte huc pertinent:

Av. vs. 1111. κἂν λαχόντες ἀρχίδιον εἶθ' ἁρπάσαι βούλησθέ τι,
ὀξὺν ἱερακίσκον ἐς τὰς χεῖρας ὑμῖν δώσομεν.
ἢν δέ που δειπνῆτε, πρηγορῶνας ὑμῖν πέμψομεν.

et eiusdem comoediae simillimi versus 1608—1621. Praesentis in apodosi ex multis duo exempla proferimus, quorum in alterius protasi aoristus, in alterius praesens ponitur:

Nub. vs. 579. ἢν γὰρ ᾖ τις ἔξοδος
μηδενὶ ξὺν νῷ, τότ' ἢ βροντῶμεν ἢ ψακάζομεν.
Th. vs. 792. κἂν ἐξέλθῃ τὸ γύναιόν ποι, κᾆθ' εὕρητ' αὐτὸ θύρασιν,
μανίας μαίνεσθε.

Utriusque exempli protasis procul dubio ad res iterum factas referenda est.

Ad futuri notionem prope accedit imperativi, qui in apodosi saepius legitur. Imperativus praesentis et aoristi, quorum uterque adhibetur, ita fere dispositus est apud Aristophanem, ut, si in protasi coniunctivus praesentis sit, in apodosi imperativus eiusdem temporis poni soleat (cf. Av. vs. 1534) coniunctivum aoristi etiam imperativus aoristi sequatur. (cf. R. vs. 1177.). Ab hoc usu, si in protasi praesens reperitur, semel decessit N. vs. 743 sq.; ubi in protasi aoristus usurpatur bis in eodem verbo alia dicendi forma usus est: Equ. vs. 579 et Lys. vs. 649. Daetalensium fragm. 17 Brunckii correctura ἥν pro οὐ recepta tertium exemplum accedit.

Si quis in exspectatione cuiusdam rei est, desiderium aut iudicium addere potest, quid post rei eventum fieri optet aut iudicet. Itaque in apodosi enuntiatorum huius generis neque optativus simplex neque optativus cum particula ἄν consociatus deest, quamquam pro rerum natura rariora sunt talis formae exempla quam imperativi. Temporum aequabilitatem, etsi non semper retineatur, tamen in plerisque exemplis servatam esse videmus. Nudi optativi qui est optantis exemplum in quo concinnitas servatur, est in

R. vs. 586. ἀλλ' ἤν σε τοῦ λοιποῦ ποτ' ἀφέλωμαι χρόνου,
587. κάκιστ' ἀπολοίμην. Aliter comparati sunt:
V. vs. 524. εἰπέ μοι, τί δ' ἤν, τὸ δεῖνα, τῇ διαίτῃ μὴ 'μμένῃς;
Philocl. μηδέποτ' πίοιμ ' ἄκρατον μισθὸν ἀγαθοῦ δαίμονος.

Optativi cum ἄν copulati exempla duo diversa sunt haec:

Lys. vs. 696 οὐ γὰρ ὑμῶν φροντίσαιμ' ἄν, ἢν ἐμοὶ ζῇ Λαμπιτώ.
N. vs. 116. ἢν οὖν μάθῃς μοι τὸν ἄδικον τοῦτον λόγον,
118. οὐκ ἂν ἀποδοίην οὐδ' ἂν ὀβολὸν οὐδενί.

Cum indicativo praesentis in apodosi interdum perfecti indicativus coniunctus est, velut

Lys. vs. 856. κἂν ᾠὸν ἢ μῆλον λάβῃ, Κινησίᾳ
τουτὶ γένοιτο, φησίν· κἂν περὶ ἀνδρῶν γ' ἐμπέσῃ
λόγος τις, εἴρηκ' εὐθέως ἡ σὴ γυνή κτλ.

et V. vs. 493 sq. In utroque exemplo hominum mores depinguntur et perfecti vis ea est ut, simulatque unum accidisset, alterum subsecutum esse indicet. Multo frequentius protasim coniunctivo aut temporis praesentis aut aoristi prolatum in apodosi indicativus aoristi sequitur. Aoristus, qui in periodo hypothetica Vesp. vs. 579 sqq. praesens excipit, plerumque is est, quem gnomicum appellant grammatici, quo rem identidem factam semel factam esse Graeci ponebant. Dicendi genus apprime illustratur eiusdem comoediae.

vs. 97. καὶ νὴ Δί', ἢν ἴδῃ γέ που γεγραμμένον
υἱὸν Πυριλάμπους ἐν θύρᾳ Δῆμον καλὸν,
ἰὼν παρέγραψε πλησίον „κημὸς καλός“.

Cum hunc aoristi usum in apodosi nunquam critici temptarent, aoristi exemplum unum, in quo futuri loco positus est, tolerare noluerunt. Mulieres, quae in Ecclesiazusis, ne a

viris contionantibus fraus detegatur, declamando se exercent, Praxagoram, quid, si praeter exspectationem homo nequam interrupturus sit sermonem, respondere in animo habeat, hoc modo interrogant vs. 248 ἀτὰρ ἢν Κέφαλός σοι λοιδορῆται προςφθαρείς, πῶς ἀντερεῖς πρὸς αὐτὸν ἐν τἠκκλησίᾳ; Praxagora convicium regerit φήσω παραφρονεῖν αὐτόν. Subsequuntur versus

254. τί δ', ἢν Νεοκλείδης ὁ γλάμων σε λοιδορῇ;
Prax. τούτῳ μὲν εἶπον ἐς κυνὸς πυγὴν ὁρᾶν.
Mul. τί δ', ἢν ὑποκρούωσίν σε; Prax. προςκινήσομαι.

Aoristum medium inter futura interpositum nemo aliter accipere potest nisi pro futuro. Quod cum viris doctis audacius videretur, id quod totiens egerunt atque facili sane negotio perficitur hic quoque amplexi sunt, ut inusitatam dictionem tollere quam exemplis firmare mallent. Itaque Blaydesius desiderat γ'ἂν εἴποιμ', Velsenus τοῦτον μενεῖ τόδ' veram lectionem esse censet. Quamquam ex Aristophane aliud huiusmodi exemplum mihi non praesto est, Medeae Euripideae vs. 78: ἀπωλόμεσθ' ἄρ', εἰ κακὸν προςοίσομεν νέον παλαιῷ haud frustra in subsidium vocare mihi videor. Praxagorae responsum certissime ac sine mora eventurum esse aoristo significatur. Neque illud praeteream aoristi singularem hunc usum a notissimo illo de rebus praesentibus, quo exempli gratia in Equ. vs. 696 allantopola loquitur:
ἥσθην ἀπειλαῖς, ἐγέλασα φολοκομπίαις, non tantopere differre ut Eccl. vs. 255 scripturam non solum a codicibus sed etiam a scholiasta ad Ach. vs. 863 et a Suida s. v. τούτῳ μέν servatam reicere liceat.

Restat una species enuntiatorum huius generis, quae accedente copula καί concessivam vim habet. Longe maiori parti enuntiatorum a vocabulo composito κἄν incipientium deest notio concessiva et κἄν, quod semper primo enuntiati loco habetur, soli duarum sententiarum coniunctioni inservit. Quoniam a ceteris enuntiatis condicionalibus secerni non possunt, una cum iis tractavimus. Sententiae concessivae huius generis, cum apodosim protasis fere sequatur, ipsa collocatione a mere condicionalibus discernuntur. Quattuor tantum locis inversum ordinem inveni V. vs. 813. 1297.

L. 595. Pl. 216. Sententiae concessivae membra eas plerumque formas exhibent, quas adhuc in enuntiatis condicionalibus deprehendimus. Saepissime in apodosi protasim coniunctivo praesentis sive aoristi prolatam excipit indicativus futuri, velut L. vs. 499: σωθήσει, κἂν μὴ βούλῃ. Praesentis indicativus servatur in V. vs. 691. αὐτὸς δὲ φέρει τὸ συνηγορικόν, δραχμήν, κἂν ὕστερος ἔλθῃ. Ex reliquis apodosis formis optativum cum particula ἄν coniunctum semel animadverti in
L. vs. 115. ἐγὼ δέ γ' ἂν (καταλύσαιμι τὸν πόλεμον) κἂν ὡσπερεὶ
φῆττάν με δῆ ἐπιδοῦν'.
indicativum perfecti in eiusdem fabulae vs. 595. ὁ μὲν ἥκων γάρ, κἂν ᾖ πολιός, τάχυ παῖδα κόρην γεγάμηκεν.

Exempla quibus ad illustrandas varias huius generis formas usus sum non omnia ita comparata sunt ut ab una persona plena proferantur. Saepe sententias plenas poeta ita dispescuit, ut alter protasim alter apodosim loqueretur, aut in enuntiato ab una persona dicto omnino adumbravit tantum apodosim. Non actum me agere existimo si de his rebus pauca addo. Atque primum quidem enuntiata, quorum membra separata sunt, contemplemur. Protasim priore loco positam semper interrogative is qui loquitur profert, velut:
P. vs. 107. Serv. ἐὰν δὲ μή σοι καταγορεύσῃ; Tryg. γράψομαι.
R. vs. 1415. ἐὰν δὲ κρίνω; Pl. τὸν ἕτερον λαβὼν ἄπει.
Eandem interrogationis formam in apodosi adhibuit, si protasis posteriore loco habetur, quamquam hoc ordine cervato non necessaria est; per interrogationem apodosis pronuntiatur.
R. vs. 1134. ἐγὼ σιωπῶ τῷδ'; Dion. ἐὰν πείθῃ γ' ἐμοί.
vs. 1229. ἐγὼ πρίωμαι τῷδ'; Dion. ἐὰν πείθῃ γ'ἐμοί. sed sine interrogatione.
Eccl. vs. 1084. δευρὶ μὲν οὖν ἴθ' ὡς ἔμ' Ad. ἢν ἡδί μ' ἀφῇ.

Haud raro apodosis voce interrogativa τί (pro qua in principio sententiae τί δέ usurpatur) significata ab eadem aut ab altera persona pluribus explicatur, cuius usus singula exempla dabo.
L. vs. 366. τί δ' ἢν σποδῶ τοῖς κονδύλοις, τί μ' ἐργάσει τὸ δεινόν;
et Eccl. vs. 862. ἢν δὲ κωλύσωσι, τί;

Vir II ὁμόσ' εἶμι κύφας. Vir I. ἢν δὲ μαστιγῶσι, τί;
Vir II καλούμεθ' αὐτάς. Vir I. ἢν δὲ καταγελῶσι, τί;
Vir II . . . . ἁρπάσομαι τὰ σιτία.

Neque vero semper apodosim hoc modo adumbratam pluribus Aristophanes persecutus est; est ubi τί δ' solum praedicati instar positum sit, ut

Eccl. vs. 1023. τί δ' ἢν ἀφαιρῆταί μ' ἀνὴρ τῶν δημοτῶν
ἢ τῶν φίλων ἐλθών τις; Anus: ἀλλ' οὐ κύριος
ὑπὲρ μέδιμνόν ἐστ' ἀνὴρ οὐδεὶς ἔτι.

Huic apodosis formae propinqua est ea, quam iam tertiam perlustrabimus. Etsi in sermone graeco simplicis affirmationis vocabulum exstat, tamen plerumque particula νή adiecto cuiusdam dei nomine eius locum obtinet. In enuntiatis condicionalibus, si apodosis nostro sermone per vocabulum „ja" exprimitur ab Aristophane semper νὴ τὸν 'Απόλλω, νὴ τὸν Δία similia scripta sunt, cum in negativa apodosi dei nomen nullo discrimine additum aut abiectum sit. Sententiae condicionalis vis augeri solet addita enclitica γέ (sive πέρ), quae duobus locis omissa est:

P. vs. 364. ἀπόλωλας, ὦ κακόδαιμον. Tryg. οὐκοῦν, ἢν λάχω.
Pl. vs. 286. ὄντως γὰρ ἔστι πλουσίοις ἡμῖν ἅπασιν εἶναι;
Cario νὴ τοὺς θεούς, Μίδαις μὲν οὖν, ἢν ὦτ' ὄνου λάβητε·

Verbo ex priore sententia supplendo nihil opus est neque quid suppleri debeat semper apparet, quod ex tribus huius speciei exemplis vulgarem Aristophanis usum illustrantibus cognosces.

Eccl. vs. 1034. ἦ μὴν ἔτ' ὠνήσει σὺ καὶ στεφάνην ἐμοί.
Ad. νὴ τὸν Δί', ἤνπερ ἦ γέ που τῶν κηρίνων.
Ach. vs. 59. Κάθησο σῖγα. Dic. μὰ τὸν 'Απόλλω 'γὼ μὲν οὔ,
ἢν μὴ περὶ εἰρήνης γε πρυτανεύσητέ μοι.
Pl. vs. 220. παπαῖ, πονηρούς γ' εἶπας ἡμῖν ξυμμάχους.
Chrem. οὐκ, ἤν γε πλουτήσωσιν ἐξ ἀρχῆς πάλιν.

Scholiasta ad vs. 221 sententiam sic explicat: οὐκ ἔσονται, φησί, μοχθηροὶ καὶ ἐπίπονοι ἅπαξ πλουτήσαντες. Alii fortasse maluerint: οὐ πονηροὺς εἶπα ἡμῖν ξυμμάχους. Sed verius et simplicius mihi videtur statuere negationi praedicati vim inesse, ut in reliquis exemplis vocibus: μὰ τὸν 'Απόλλω 'γὼ μὲν οὔ et νὴ τὸν Δία.

IV. Particulae εἰ et ἐάν sine verbo finito positae.

Cum protases condicionales, quas in variis enuntiatorum condicionalium generibus recensuimus, praedicativo verbo non careant, sat multis locis post particulas εἰ et ἐάν verbum desideratur, quod pro locorum natura varie interpretes supplent.

Atque ut a facillimis ordiamur, primum ea enuntiata tractabimus in quibus ad sermonis integritatem a plurimis quidem, qui ex posteriore usu iudicant, verbum εἶναι suppletur, revera autem ex primitiva sermonis consuetudine substantiva vel adiectiva praedicati instar posita sunt. Plurima huiusmodi exempla in apodosi offendimus, rarius in protasi inveniuntur. Sed exstant talia exempla ut

V. vs. 1153. εἴπερ γ' ἀνάγκη, κρίβανόν μ'ἀμπίσχετε quocum conferas Homeri libri Ω vs. 667. τῇ δὲ δυωδεκάτῃ πολεμίξομεν, εἴπερ ἀνάγκη· Adiectiva inde ab Homeri temporibus saepe praedicative adhibentur, cuius apud Homerum in enuntiatis condicionalibus usus duo exempla adponam:

Α 116. ἀλλὰ καὶ ὧς ἐθέλω δόμεναι πάλιν, εἰ τό γ' ἄμεινον.
Τ 264. εἰ δέ τι τῶνδ'ἐπίορκον, ἐμοὶ θεοὶ ἄλγεα δοῖεν.

ut eandem praedicativam adiectivi vim apud Aristophanem agnoscas in:

P. vs. 736. εἰ δ'οὖν εἰκός τινα τιμῆσαι . . . .
738. ἄξιος εἶναί φησ' εὐλογίας μεγάλης ὁ διδάσκαλος ἡμῶν.
R. vs. 706. εἰ δ' ἐγὼ ὀρθὸς ἰδεῖν βίον ἀνέρος . . . .
οὐ πολὺν οὐδ' ὁ πίθηκος οὗτος . . . χρόνον ἐνδιατρίψει
Lys. vs. 531. ἀλλ' εἰ τοῦτ' ἐμπόδιόν σοι,
παρ' ἐμοῦ τουτὶ τὸ κάλυμμα λαβὼν
ἔχε καὶ περίθου περὶ τὴν κεφαλήν.

Nec solum substantivum et adiectivum ita usurpatur, sed etiam adverbium praedicativum legitur:

V. vs. 892. εἴ τις θύρασιν ἡλιαστής, εἰσίτω. cui Homeri exemplum compares Ψ 832 εἴ οἱ καὶ μάλα πολλὸν ἀπόπροθι πίονες ἀγροί, ἕξει μιν καὶ πέντε περιπλομένους ἐνιαυτοὺς χρεώμενος. Singulariter eodem more exempla conformata sunt

R. vs. 73. τοῦτο γάρ τοι καὶ μόνον
ἔτ' ἐστὶ λοιπὸν ἀγαθόν, εἰ καὶ τοῦτ' ἄρα.

Ach. vs. 562. εἶτ' εἰ δίκαια, τοῦτον εἰπεῖν αὔτ' ἐχρῆν;

Qui aequabilitatem membrorum in enuntiatis condicionalibus nativam legem statuunt cum in ceteris dictionibus compendiariis tum in enuntiatis comparativis, ubi illa lex violata est, per incredibiles ellipses primitivam quam fingunt rationem restituunt. Apud Aristophanem enuntiata comparativa particulis ὡς εἰ cum optativo iunctis formata habentur tria. Omisimus consulto haec exempla in capite de particula εἰ cum optativo copulata cum hac opportunissima via ad pristinam particulae εἰ vim etiam sine verbo finito valentem traducamur. Quod ut ratione ac via fiat, initium capimus a versibus Eccl. 125. καταγέλαστον τὸ πρᾶγμα φαίνεται.
Prax. πῶς καταγέλαστον; Mul. ὥσπερ εἴ τις σηπίαις
πώγωνά περιδήσειεν ἐσταθευμέναις.

Mulieribus quid in contione dicturae essent meditantibus Praxagora auctor fuerat, ut barbas sibi circumligarent. Inaudita metamorphosis ipsis mulierculis risum movet, quarum una mulieres barbatas cum sepiis assatis comparat. Vulgo enuntiatum condicionale sic suppletur: καταγέλαστον τὸ πρᾶγμα φαίνεται, ὥσπερ καταγέλαστον ἂν φαίνοιτο, εἴ τις σηπίαις πώγωνα περιδήσειεν ἐσταθευμέναις. Si ex uberiore hac forma verba tradita nescio qua via orta essent, in vetustiore sermonis usu unum saltem exemplum comparationis plene expressae exstare iure exspectaremus. Sed scriptorum usus inde ab Homero tantum abest ut ullum fictae illius rationis vestigium praebeat, ut ipsis antiquissimis temporibus verba ὡς εἰ nullius enuntiati interpositi ope cum optativo constructa esse doceat. Quae cum ita sint vetus horum enuntiatorum explicandi ratio stare non poterit neque dubito Langio assentiri qui enuntiata ab εἰ incipientia primaria fuisse ostendit, quae progrediente demum aetate secundaria facta sunt. Itaque hoc loco mulier, quendam sepiis assatis barbam circumligare posuit, quae res omnibus scilicet risus daret, simileque exemplum particula ὡς in comparationem cum mulieribus barbatis vocatur. Lingua vernacula vim particulae εἰ insitam reddere possumus: Es

erscheint lächerlich, dem gesetzten Falle vergleichbar, es möchte Jemand gebratenen Tintenfischen einen Bart umhängen. Manet dicendi brevitas cum non expressis verbis addatur sed legenti supplendum permittatur, ridiculam rem videri, sed sine verborum defectu explicatur. Plane eodem modo reliqua duo Aristophanis exempla intellegenda sunt: R. vs. 1158 sq. Av. vs. 281 sq. Vetustiorem igitur particulae εἰ notionem, ut nihil nisi rem in enuntiato per se subsistente descriptam in mente ac cogitatione versari doceret, particularum ὡς εἰ coniunctioni inesse censemus. Ratio quae inter duas res intercedit non semper plene profertur sed interdum sermone imperfecto participio aut substantivo adumbratur. Apud Aristophanem tria participii post ὡς εἰ positi exempla inveniuntur.

N. vs. 1359. οὐ γὰρ τότ εὐθὺς χρῆν σ' ἀράττεσθαί τε καὶ πατεῖσθαι,
ᾄδειν κελεύονθ' ὡσπερεὶ τέττιγας ἑστιῶντα;

Av. vs. 50. χὡ κολοιὸς οὑτοσὶ
ἄνω κέχηνεν ὡσπερεὶ δεικνύς τι μοι.

Eccl. vs. 536. ἀλλ' ἔμ' ἀποδύσασ' ἐπιβαλοῦσα τοὔγκυκλον,
ᾤχου καταλιποῦσ' ὡσπερεὶ προκείμενον.

Enuntiatum ὡσπερεὶ προκείμενον non ita intellegendum est quasi poetae scribendum fuisset: ὥσπερ οἴχοιο ἂν καταλιποῦσ' εἰ προκείμενον οἴχοιο καταλιποῦσα, sed Aristophanes mulierculae virum deserentis morem similem esse dicit ac si vir mortuus esset. Hoc si accidisset, certissime virum deseruisset mulier. Particula εἰ rem fictam cum re vere facta comparari indicat. Quoniam plerumque poetae res ficticias in comparationem vocant, saepius omiserunt particulam εἰ; deest in eadem rerum condicione. N. vs. 837. σὺ δὲ
ὥσπερ τεθνεῶτος καταλόει μου τὸν βίον.

V. vs. 1370. τί ταῦτα ληρεῖς, ὥσπερ ἀπὸ τύμβου πεσών;

Breviores ideoque imperfectae comparationes sunt, in quibus res gestae nudo substantivo illustrantur, velut:

Ach. vs. 876. ὡσπερεὶ χειμὼν ἄρα
ὀρνιθίας ἐς τὴν ἀγορὰν ἐλήλυθας.

Equ. vs. 270. ὡσπερεὶ γέροντας ἡμᾶς ἐκκοβαλικεύεται.

V. vs. 129. ὁ δ' ὡσπερεὶ κολοιὸς αὑτῷ παττάλους
ἐνέκρουεν ἐς τὸν τοῖχον.

Av. vs. 1519. ἀλλ' ὡσπερεὶ Θεσμοφορίοις νηστεύομεν·
quibus addo locos Av. 748. Lys. 115 frg. 342. 408. 416. Quam libere in addendo et omittendo εἰ versatus sit poeta ex Vesp. vs. 1107. ξυλλεγέντες γὰρ καθ' ἑσμούς, ὡσπερεὶ τἀνθρήνια,
οἱ μὲν . . . οἱ δὲ . . . οἱ δὲ . . . δικάζουσ'. . .
πυκνὸν νεύοντες ἐς τὴν γῆν, μόλις
ὥσπερ οἱ σκώληκες ἐν τοῖς κυττάροις κινούμενοι.
apparet. Acute Langius de particulis ὡς εἰ loquitur (l. l. p. 540 [234]): in ὡς εἰ fungirt εἰ bloss als Exponent der Fallsetzung und deutet somit an, dass der verglichene Gegenstand nicht als wirklicher sondern als gesetzter der Vergleichung dienstbar wird, nur durch die Markierung der Setzung unterscheidet es sich von dem einfachen ὡς oder ὥςτε.

Ut in compendiariis his comparationibus ὡς et ὡς εἰ permutantur, ita etiam unum exemplum plenius prolatae comparationis exstat, in qua vocem εἰ in libris non traditam suo arbitrio editores restituerunt:
Av. vs. 180. πόλος; τίνα τρόπον; P. ὥσπερ εἴποι τις τόπος.
ὥσπερ εἴποι non est pro ὥσπερ ἂν εἴποι dictum sed pro ὥσπερ εἰ εἴποι, quae singularis ratio satis Aristophanis usu defenditur et eam nos quoque imitari possumus reddendo: wie einer sagen möchte sive mag. Cobetus omnibus adsentientibus eandem formam versui dedit, quam in eiusdem comoediae vs. 282 habuimus: ὥσπερ εἰ λέγοις. Formulae ὥσπερ ἂν εἰ, quae apud scriptores atticos in comparationibus usurpatur, usum apud Aristophanem nullum vidi. Semel coniectando ὡς ἂν εἰ Halbertsma (οἷ' ἂν εἰ Meinekius) in Eccl. vs. 734. effecerunt: vs. 734. ἡ χύτρα δεῦρ' ἔξιθι,
νὴ Δί' μέλαινά γ', οὐδ' ἂν εἰ τὸ φάρμακον
ἕψουσ' ἔτυχες ᾧ Λυσικράτης μελαίνεται.
Traditam scripturam Dindorfius explicat ὥστε οὐκ ἂν εἴης μελαντέρα, οὐδ' ἂν εἰ, mira et incredibili ellipsi, quae ipsum quoque movit ut aliquid excidisse putaret. Dobraei adnotatio: „vulgatam defendit Lys. vs. 307: οὐκοῦν ἄν, εἰ θείμεσθα; ubi similiter pendet ἄν" nihili est; nam primum loci dissimiles sunt, tum non de intellegenda particula ἄν agitur sed de οὐδέ. Equidem nihil habeo quo caliginem verborum dispellam,

neque criticorum, quos nominavi, inventa mihi arridere negaverim.

Singularem particulae εἰ vim, quam pristinam, esse censemus, non solum in comparationibus animadvertere licet, sed etiam in ceteris eiusdem particulae sine verbo finito positae exemplis, quae nunc recensere in animo habemus. Uno loco οὐδ' εἰ eodem modo quo ὡς εἰ explicandum usurpavit Aristophanes in V. vs. 353. πάντα πέφαρκται κοὐκ ἔστιν ὀπῆς οὐδ' εἰ
σέρφῳ διαδῦναι.
Meinekius huius usus, quem apud grammaticos frustra quaesiveris, alterum exemplum detexisse sibi visus est in eiusdem comoediae vs. 1223.
V. vs. 1222. τούτοις ξυνὼν τὰ σκόλι' ὅπως δέξει καλῶς.
Phil. ἄληθες; ὡς οὐδείς γε Διακρίων δεδέξεται.
δεδέξεται ex glossemate illatum esse Dobraeus censet; vulgo scribunt: ὡς οὐδεὶς Διακρίων δέξεται. Omnes fere de Diacriis accipiunt quasi hi scoliorum cantandorum prae ceteris periti fuerint. Quodcum incompertum habeamus, Meinekius: οὐδ' εἰ Διακρίων δέξεται scribendum esse conicit, quod hominis nomen fuisse putat scite scolia cantantis. Sed ut sermonis elegantiam restitutam esse concedimus, ita eandem manere verborum obscuritatem ignoto homine recepto fatemur. Cum negativa forma οὐδ' εἰ in usu fuisse appareat, admodum mirabile videtur, quod positiva καὶ εἰ neque apud Aristophanem neque apud ullum scriptorem (nam in Xenophontis Comment. libr. 4, 1, 1 codices variant) certe traditur. Sed pro καὶ εἰ quattuor locis Aristophaneis καὶ ἐάν sive κἄν sine verbo finito inveni:
Ach. vs. 1021. μέτρησον εἰρήνης τί μοι, κἂν πέντ' ἔτη.
V. vs. 92. ἢν δ' οὖν καταμύσῃ κἂν ἄχνην, ὅμως ἐκεῖ
ὁ νοῦς πέτεται.
L. vs. 671. εἰ γὰρ ἐνδώσει τις ἡμῶν ταῖςδε κἂν σμικρὰν λαβήν,
οὐδὲν ἐλλείψουσιν κτλ.
Pl. vs. 124. οἴει γὰρ εἶναι τὴν Διὸς τυραννίδα
καὶ τοὺς κεραυνοὺς ἀξίους τριωβόλου,
ἐὰν ἀναβλέψῃς σὺ κἂν μικρὸν χρόνον;
Grammatici suo more exempla varie interpretantur, velut Matthiaeus (p. 1484) versum Pluti sic plenum esse dicit:

ἐὰν ἀναβλέψῃς σὺ καὶ ἐὰν ἀναβλέψῃς μικρὸν χρόνον. Ad hoc, de quo agimus, dicendi genus pertinent porro coniuncta vocabula πλὴν εἰ, quae, si codices respicimus, bis apud Aristophanem habentur:

Av. vs. 601. οὐδεὶς οἶδεν τὸν θησαυρὸν τὸν ἐμὸν πλὴν εἴ τις ἄρ' ὄρνις.
Thesm. vs. 531. ἀλλ' οὐ γάρ ἐστι τῶν ἀναισχύντων φύσει γυναικῶν
οὐδὲν κάκιον εἰς ἅπαντα πλὴν ἄρ' εἰ γυναῖκες.

Scholiasta prioris versus ex vetere proverbio οὐδείς με θεωρεῖ πλὴν ὁ παριπτάμενος ὄρνις poetam versum finxisse docet. Quod in proverbio particula πλήν vocem εἰ non adscivit documento est, quam tenue discrimen inter utramque dictionem fuerit; sed nemo positionis vim particula εἰ afferri non sentit. Meinekius, qua erat sermonis graeci eximia scientia, duobus his locis addidit:

N. vs. 360. οὐ γὰρ ἂν ἄλλῳ γ' ὑπακούσαιμεν . . . πλὴν ἢ Προδίκῳ.
734. (ἔχεις τι;) Str. οὐδέν γε πλὴν ἢ τὸ πέος ἐν τῇ δεξιᾷ.

Codices in πλὴν ἤ consentiunt. Quamquam correctio ea est, quae fidem nobis facere possit (et Kockius quidem Meinekium secutus est), tamen eam inutilem iudico. Pleonasmum enim, quem vocant, verborum πλὴν ἤ satis tueri possumus simillimo particularum ἀλλ'ἤ usu, velut Plat. Apol. 34. τίνα ἄλλον ἔχουσι λόγον βοηθοῦντες ἐμοὶ ἀλλ'ἢ τὸν ὀρθόν τε καὶ δίκαιον, ὅτι κτλ. Deinde paulum aliter exceptiones comparatae sunt atque in prioribus versibus et, nisi me fallit, Nub. vs. 734 positioni per particulam εἰ indicatae prorsus refragatur.

Sat angustis finibus apud Aristophanem εἴπερ ποτε (πώποτε) et εἴ τις ἄλλος sive εἴπερ τις ἄλλος circumscripta sunt. Ac primum quidem εἴπερ τις ἄλλος pro superlativo adhibetur in Eccl. vs. 79. νὴ τὸν Δία τὸν σωτῆρ' ἐπιτήδειός γ' ἂν ἦν (sc. ὁ Λαμίας)
81. εἴπερ τις ἄλλος βουκολεῖν τὸ δήμιον.

Cum ad adiectivorum vim augendam conferret εἴ τις ἄλλος, ipsum cum adiectivis, ad quae referendum est, flectebatur, ut elucet ex Pluti

vs. 653. ὡς γὰρ τάχιστ' ἀφικόμεθα πρὸς τὸν θεὸν
ἄγοντες ἄνδρα τότε μὲν ἀθλιώτατον,
νῦν δ' εἴ τιν' ἄλλον μακάριον κεὐδαίμονα,
πρῶτον μὲν αὐτὸν ἐπὶ θάλατταν ἤγομεν.

Paulum ab hoc usu differt, si periodi membrum alterum ab εἴπερ incipiens causam continet, alterum quod inde debeat fieri adiungit, ut:

Ach. vs. 405. ὑπάκουσον, εἴπερ πώποτ' ἀνθρώπων τινί.
N. vs. 356. καὶ νῦν, εἴπερ τινὶ κἄλλῳ,
οὐρανομήκη ῥήξατε κἀμοὶ φωνήν.

De copula καί post εἴπερ posita supra disseruimus eamque collatis particulis comparativis ὥσπερ καί — οὕτως cogitandi inconcinnitate explicare studuimus. In eodem dicendi genere versatur εἴπερ ποτέ:

Equ. vs. 591. δεῖ 592 γὰρ τοῖς ἀνδράσι τοῖσδε πά-
σῃ τέχνῃ πορίσαι σε νί-
κην εἴπερ ποτὲ καὶ νῦν.
P. vs. 302. ὦ Πανέλληνες, βοηθήσωμεν, εἴπερ πώποτε.

Non uno nomine denique commemoranda est particula εἴπερ per se adhibita in:

N. vs. 226. ἔπειτ' ἀπὸ ταρροῦ τοὺς θεοὺς ὑπερφρονεῖς,
ἀλλ' οὐκ ἀπὸ τῆς γῆς, εἴπερ;

Alterum huiusmodi singulare exemplum afferre non possum, nisi forte ex Platone, qui in libr. de republica 6 p. 497e scribit: οὐ τὸ μὴ βούλεσθαι, ἀλλ' εἴπερ, τὸ μὴ δύνασθαι διακωλύσει. et in Parmen. p. 150b. ἐν μὲν ὅλῳ ἄρα τῷ ἑνὶ οὐκ ἂν εἴη σμικρότης, ἀλλ' εἴπερ, ἐν μέρει, ubi summus Heindorfius Platonis usum pluribus persecutus est nec nostrum Aristophanis exemplum omisit.

Inter elliptica, quae vocantur, dicendi genera apud grammaticos εἰ μή (ἐὰν μή) post negativam apodosim illatum non ultimum locum obtinet. Quam rationem in prioribus dictionibus iniimus, ut verbum excidisse negemus enuntiatumque imperfectum ex antiquissimo usu servatum esse contendamus, eandem nunc tenemus. Sed nihilominus ad condicionalia enuntiata hae formulae pertinent, cum apodosim stare non posse exprimant, nisi exclusio protasi significata praegressa fuerit. Itaque in Equ. vs. 994. ἁρμονίαν ὁ παῖς οὗτος οὐ δύναται μαθεῖν,
ἢν μὴ δωροδοκηστί.

sententia apodosis: puerum harmoniam addiscere non posse, non vera est nisi exceperis eam, quae munera refert. Fit

interdum, ut Graeci in ipsa apodosi sententiam, ut vera sit, requirere talem correctionem addito adiectivo ἄλλο indicent. Ut eiusdem comoediae exemplum promam, in:

Equ. vs. 615. τί δ' ἄλλο γ' εἰ μὴ Νικόβουλος ἐγενόμην;

isiciarius ex senatu reversus choro interroganti, quo modo rem gesserit, respondet. Interrogatio scilicet sensu negativo intellegenda est. Sed rectius erat dixise: οὐδὲν εἰ μὴ Νικόβουλος ἐγενόμην sive τί δ' εἰ μὴ Νικόβουλος ἐγενόμην; Vocem ἄλλο nulla alia de causa addi apparet, nisi quod protasis notionem apodosis sententiae iam mente detraxit, is qui loquitur. In explicanda structurae vi a particula μὴ proficiscendum est, qua, etiamsi verbum finitum non sequitur, res sive persona excluditur, cui si praeposita est particula condicionalis εἰ praecedere exclusionem apodosis actioni significatur. Quamquam plerumque εἰ μὴ ab Aristophane usurpatur (Ach. 684. Equ. 1106. P. 828. Lys. 629), tamen bis ἐάν (ἤν) particulae μή praefixit: Equ. vs. 994 sqq. Lys. vs. 251. Interpretes εἰ μή in particulae ἀλλά vim abisse adnotant in: Equ. vs. 186 Lys. vs. 943. Th. vs. 898. A ceteris segregendi sunt loci

Nub. vs. 227. οὐ γάρ ἄν ποτε 228 ἐξηῦρον ὀρθῶς τά μετέωρα πράγματα,
εἰ μὴ κρεμάσας τὸ νόημα καὶ τὴν φροντίδα.

V. vs. 558. (ἱκετεύουσιν) ὅς ἔμ' οὐδ' ἂν ζῶντ' ᾖδειν,
εἰ μὴ διὰ τὴν προτέραν ἀπόφυξιν.

Utrumque exemplum in apodosi adiectam particulam ἄν exhibet, sed prius, cum εἰ μὴ participium sequatur, integris enuntiatis propius accedit. Ad temporis momentum quo quid potissimum fieri oportet, designandum adhibetur εἰ μὴ νῦν:

V. vs. 402. πότε δ', εἰ μὴ νῦν, ἐπαρήξετέ μοι, πρίν μ'εἴσω μᾶλλον ἄγεσθαι;

Venimus ad postremam huius generis speciem. Sententiam enim antecedenti contrariam adiungentes Graeci particula prohibitoria μή utebantur, quacum verbum coniungi non opus erat, velut Homeri

A. vs. 295. ἄλλοισιν δὴ ταῦτ' ἐπιτέλλεο · μὴ γὰρ ἔμοιγε.

Quae si oppositio per enuntiatum condicionale profertur, εἰ δὲ μή in usu est. Pro εἰ δὲ μή duobus locis Aristophanes ἐάν δὲ μή adhibuit:

N. vs. 882. ὅπως δ'ἐκείνω τὼ λόγω μαθήσεται,
τὸν κρείττον', ὅστις ἐστὶ, καὶ τὸν ἥττονα . . . .
ἐὰν δὲ μή, τὸν γοῦν ἄδικον πάσῃ τέχνῃ.

V. vs. 929. (κολάσατε) ἵνα μὴ κεκλάγγω διὰ κενῆς ἄλλως ἐγώ.
ἐὰν δὲ μή, τὸ λοιπὸν οὐ κεκλάγξομαι!

Cum etiam apud ceteros scriptores atticos rarissima sint exempla formulae ἐάν μή et ἐάν δὲ μή, novum inde peto argumentum εἰ μή et εἰ δὲ μή non per ellipsim orta esse. Qua tandem de causa eandem ellipsim in particula ἐάν minus saepe reperiri censeamus? Alia res est, si huius usus originem in eam aetatem relegamus cum εἰ particula sola fere adhibebatur, et posteriore demum tempore alteram particulam condicionalem raro eandem vim habuisse ponimus. Sententia cui opponitur εἰ δὲ μή ter condicionalis enuntiati formam habet: Thesm. vs. 536. R. vs. 792 sq. Pl. vs. 468 sqq. (ubi post κἂν μὲν potius ἐὰν δὲ μή exspectaveris). Multo frequentius enuntiatum antecedens forma primaria est, ut:

Equ. vs. 69. ἡμεῖς δὲ δίδομεν · εἰ δὲ μή, πατούμενοι . . . χέζομεν.

V. vs. 1444. εἴσω φέρω σ' ἐντεῦθεν · εἰ δὲ μή, τάχα
κλητῆρες ἐπιλείψουσι τοὺς καλουμένους.

Plane eodem modo reperitur εἰ δὲ μή: Equ. 1158 (ubi Porsoni coniectura nihil opus est) N. 1194 V. 428. P. 262. Th. 288. R. 1132. Eccl. 963. 1060. Non semper verbum sive substantivum in altero enuntiato, ad quod negatio εἰ δὲ μή referri possit, exstat, velut in

V. vs. 971. αὐτοῦ μένων γὰρ ἅττ' ἂν εἴσω τις φέρῃ,
τούτων μεταιτεῖ τὸ μέρος · εἰ δὲ μή, δάκνει.

ubi de cane agitur qui omnium ciborum partem sibi flagitet. Non flagitandi sed certe dandi actio negatur. Ut post sententiam positivam enuntiatum condicionale oppositum per εἰ δὲ μή introducitur, ita post negativam sententiam, si integra forma loquentis animo obversabatur, εἰ δέ adhiberi consentaneum est. Sed apud Aristophanem quidem nunquam εἰ δέ post sententiam negativam illatum mihi occurrit, εἰ δὲ μή vero quinque locis.

N. vs. 1433. πρὸς ταῦτα μὴ τύπτ' · εἰ δὲ μή, σαυτόν ποτ' αἰτιάσει.

V. vs. 434. λάβεσθε τουτουὶ καὶ μὴ μεθῆσθε μηδενί·
εἰ δὲ μή, 'ν πέδαις παχείαις οὐδὲν ἀριστήσετε.
Av. vs. 133. καὶ μηδαμῶς ἄλλως ποιήσῃς· εἰ δὲ μή, κτλ.
R. vs. 629. (ἀγορεύω τινὶ) ἐμὲ μὴ βασανίζειν ἀθάνατον ὄντ'· εἰ δὲ μή,
αὐτὸς σεαυτὸν αἰτιῶ.

Formula εἰ δὲ μή adverbii adversativi notione assumpta nullo sententiae antecedentis respectu, adverbio nostro: sonst simillime, usurpabatur.

V. De omissa apodosi deque duplici protasi.

Duo enuntiatorum condicionalium, quae adhuc recensuimus, membra aut integra prolata erant aut ita adumbrata, ut facile suppleri possent. Sed sunt loci, quibus simplicem hanc relationem interruptam esse videmus, cum aut duplex protasis ad unam apodosim pertineat, aut apodosis omnino desit. Primum ad omissae apodosis exempla nos convertamus.

In periodis hypotheticis, quae duas habent protases, prioris enuntiationis apodosis reticetur si ex verborum nexu maiorem sententiae vim in alterius enuntiationis apodosi positam esse apparet. Insigne huius usus exemplum habemus in

Pl. vs. 468. κἂν μὲν ἀποφήνω μόνην
ἀγαθῶν ἁπάντων οὖσαν αἰτίαν ἐμὲ
ὑμῖν δι' ἐμέ τε ζῶντας ὑμᾶς· εἰ δὲ μή,
ποιεῖτον ἤδη τοῦθ' ὅ τι ἂν ὑμῖν δοκῇ.

Chremylus Paupertatem, quam omnium calamitatum causam esse censet, extremis suppliciis se mactaturum esse minatur. Irati animum sibi Paupertas ita conciliare studet, ut poenas Chremyli et Blepsidemi se subituram esse affirmet, si revera malorum causa sit; quid vero, si ostenderit suo beneficio omnia bona fieri, eventurum sit, tunc ipsa nescit et, ne Chremylus magis exarcerbetur, disceptare omittit. Doctam scholiastae adnotationem non praeterierim, qui exemplis Hom. A 135 sqq et Thuc. 3,3 allatis sic pergit τὸ δὲ σχῆμα καλεῖται ἀνανταπόδοτον, ᾧ καὶ νῦν Ἀριστοφάνης ἐχρήσατο· οὐ γὰρ ἀποδέδωκε τὴν σύνταξιν ἐνταῦθα· ἔδει γὰρ εἰπεῖν, κἂν μὲν ἀποφήνω μόνην ἐμὲ

ἀγαθῶν οὖσαν αἰτίαν, ἐάσατε· εἰ δὲ μή, ποιεῖτον ὅ τι ἂν ὑμῖν δοκῇ. Ceterum non uno tenore verba pronuntiata esse existimo, sed post ὑμᾶς cum congruo capitis et manus motu parvam loquendo pausam fecisse actorem. Maioribus difficultatibus alterum huiusmodi exemplum obstructum est:

Th. vs. 536. εἰ μὲν οὖν τις ἔστιν· εἰ δὲ μή, ἡμεῖς
αὐταί γε καὶ τὰ δουλάρια τέφραν ποθὲν λαβοῦσαι
ταύτης ἀποψιλώσομεν τὸν χοῖρον, ἵνα διδαχθῇ
γυνὴ γυναῖκας οὖσα μὴ κακῶς λέγειν τὸ λοιπόν.

Post inexspectatam Euripidis defensionem, mulierum accusationem ingens oritur tumultus, quod mulier mulierum vitia tam aperte detegere ausa sit. Tandem mulier quaedam socias, ut gravissimas poenas a sceleratissima hoste repeterent, hortatur. Codices in scriptura consentiunt, nisi quod scholiasta ad Il. 1,137 pro τις ἔστιν inverso ordine ἔστι τις scripsit. Cum de alterius apodosis sententia dubitari nequeat, prima protasis nemini adhuc satis intellecta est. Scholiasta ad vs. 536 adnotat: συντιμωρεῖσθαι αὐτὸν βουλόμεναι (Fritzschius: βουλομένη) ἐπειδὴ ἐπὶ σκηνῆς εἰσιν, quo nihil proficimus. Blaydesius sensum adhuc obscurum sic explicat: Quapropter si aliqua illa est (si illi animi aliquid inest, si fortis et animosa est), se ipsam defendet: sin minus, nos ipsae et pedissequae huius depilabimus cunnum. Protasim ad Mnesilochum pertinere recte intellegit, sed quae de pronominis τίς usu emphatico addit, in hunc locum non quadrant. Prorsus importune apodosim supplevit, cum de defensione Mnesilochi cogitare mulierum nemini in mentem venire posset et ipse huius scenae eventus, defensionem Mnesilochi in cumulandis mulierum criminibus contineri demonstret. Atque apodosim talem omitti, qualem Blaydesius proposuit, nunquam in sermonis graeci usu fuit. Quae cum ita sint, locum non integrum a librariis traditum esse credo eiusque medelam quaesitam esse non improbo. Sed Velseni infelicem coniecturam quam praeeunte ex parte Bergkio in textum recepit: εἰ μὲν οὖν τίσις τίς ἐστ' ἐν ἡμῖν, αὐταί γε καὶ τὰ δουλάρια ἀποψιλώσομεν reicere vix opus est. Nam primum singularem dicendi usum non temptandum esse apparet, deinde a tradita verborum scriptura nimis longe haec

coniectura recedit, denique ut apta sententia evadat postulamus. Melius et sententiae et orationi prospexisse mihi videor scribendo: εἰ μὲν οὖν ἄπεισιν · εἰ δὲ μή, ἡμεῖς κτλ. Quae proposui facile intelleguntur: Si ex oculis nostris abibit, bene est; sin minus, male eam mulcabimus.

Praeter hunc omissae apodosis usum apud Aristophanem exempla non desunt, in quibus incepta oratio alterius verbis abrumpitur, ut sola protasis exstet. Ita in Av. vs. 371

εἰ δὲ τὴν φύσιν μὲν ἐχθροί, τὸν δὲ νοῦν εἰσιν φίλοι,
καὶ διδάξοντές τι δεῦρ' ἥκουσιν ἡμᾶς χρήσιμον;

fremebundus chorus Epopis sermonem ad finem perduci prohibet vehementi interrogatione: πῶς δ'ἂν οἶδ' ἡμᾶς τι χρήσιμον διδάξειάν ποτε, ἢ φράσειαν; Dobraeus et Meinekius iniuria εἰ δέ in οἱ δέ mutari voluerunt. Porro huc referendi sunt Pluti versus 356. εἴ τι κεκλοφὼς νὴ Δία

ἐκεῖθεν ἥκεις ἀργύριον ἢ χρυσίον
παρὰ τοῦ θεοῦ, κᾆπειτ' ἴσως σοι μεταμέλει.
Chrem. Ἄπολλον ἀποτρόπαιε, μὰ Δί' ἐγὼ μὲν οὔ.

Blepsidemus viginti versibus post vss. 377 sqq. profert, ut videtur, quid, si Chremylus pecuniam furatus sit, exiguo admodum sumptu pro eo suscipere velit. Aegre fero quod hoc loco Ranarum versus inextricabiles fere:

1437. εἴ τις πτερώσας Κλεόκριτον Κινησίᾳ,
αἴροιεν αὖραι πελαγίαν ὑπὲρ πλάκα —
Dion. γέλοιον ἂν φαίνοιτο · νοῦν δ' ἔχει τίνα;
Eur. εἰ ναυμαχοῖεν, κᾆτ' ἔχοντες ὀξίδας
ῥαίνοιεν ἐς τὰ βλέφαρα τῶν ἐναντίων.
ἐγὼ μὲν οἶδα καὶ θέλω φράζειν; Dion. λέγε.

silentio praeterire non possum; nam ut verum fatear, etiam post novissimas Vahleni curas restant difficultates, ex quibus me non satis expedivi. Quodsi versuum structuram quaerimus, non dubito, quin ex Bacchi verbis vs. 1435 εἴπατον περὶ τῆς πόλεως, ἥντιν' ἔχετον σωτηρίαν eadem apodosis supplenda sit, quae vs. 1445 scripta est: σωθεῖμεν ἄν. Haec omissae apodosis exempla apud Aristophanem mihi occurrerunt.

Haud rara sunt exempla in quibus, cum uni apodosi duae protases adiunguntur, difficilis ad intellegendum est ratio

quae inter eas intercedit. Quamvis autem Aristophanis interpretes de horum enuntiatorum constructione taceant et critici (Meinekius prae ceteris) alteram protasim coniecturis eliminaverint, tamen in hoc quoque sermonis Aristophanei usus dignus est qui observetur.

Ac primum quidem protasis repetitur, si apodosis sententiam contrariam eo magis audientium animis infigi volunt. Mulieres, quae convicia generi muliebri facta refutant, non sine magna vi loquuntur in: Th. vs. 788.

εἰ κακόν ἐσμεν, τί γαμεῖθ' ὑμεῖς, εἴπερ ἀληθῶς κακόν ἐσμεν;

Simili de causa protasis bis posita est in

Eccl. vs. 218. ἡ δ' Ἀθηναίων πόλις
εἰ τοῦτο χρηστῶς εἶχεν, οὐκ ἂν ἐσώζετο,
εἰ μή τι καινὸν ἄλλο περιειργάζετο;

Certissime urbs servaretur, Praxagora censet, si mulierum morem teneret neque semper novarum rerum studiosa esset; pronomen τοῦτο cum propter oppositum ἄλλο tum propter comparationem inceptam (κατὰ τὸν ἀρχαῖον νόμον vs. 216.) nullo modo abiciendum est sive mutandum in πού τι, quod Dobraeus et Meinekius voluerunt. Adhortationem positive et negative pronuntiatam maiore vi esse quivis intellegit. Tertium huius modi exemplum exstat in

R. vs. 736. κἄν τι σφαλῆτ', ἐξ ἀξίου γοῦν τοῦ ξύλου,
ἤν τι καὶ πάσχητε, πάσχειν τοῖς σοφοῖς δοκήσετε.

Cum una apodosi protases duae saepius copulatae sunt, quarum altera sententia universa, altera singularis huius rationis descriptio continetur. Huc referendus est vexatissimus Equitum locus:

vs. 1131. χοὔτω μὲν ἂν εὖ ποιοῖς,
εἴ σοι πυκνότης ἔνεστ'
ἐν τῷ τρόπῳ, ὡς λέγεις,
τούτῳ πάνυ πολλή,
εἰ τούσδ' ἐπίτηδες ὥσ-
περ δημοσίους τρέφεις
ἐν τῇ πυκνὶ, κᾆθ' . . ἐπιδειπνεῖς.

Meinekius vs. 1131 et 1132 sic potius scribendos esse censet: χοὔτω μὲν ἄρ' εὖ ποιεῖς · ἢ σοι πυκνότης ἔνεστ' κτλ. Velsenus

Reiskii correctionem amplexus vs. 1132 καί σοι πυκνότης ἔνεστ' excudi iussit. Kockius denique vs. 1135 καί scribendum esse conicit. Frustra mihi doctissimi viri in duplici protasi videntur offensi esse. Demus ultro se desipere exposuerat, ut praesidem incautum, si oppletus esset, mactaret. Quamquam chorus se nunc probare Demi stultitiam simulatam satis declarare potuit verbis: οὕτω μὲν ἂν εὖ ποιοῖς, εἴ σοι πυκνότης ἔνεστ' ἐν τῷ τρόπῳ τούτῳ πάνυ πολλή, tamen quod Demi prudentem morem accuratius depinxit nemini credo offensioni est. Si quid video, duplicis protasis ratio eadem fere est in Av.

vs. 1596. ἀλλ' οὔτε πρότερον πώποθ' ἡμεῖς ἤρξαμεν
πολέμου πρὸς ὑμᾶς, νῦν τ' ἐθέλομεν, εἰ δοκεῖ,
ἐὰν τὸ δίκαιον ἀλλὰ νῦν ἐθέλητε δρᾶν, 1599 σπονδὰς ποιεῖσθαι.

Nam per ἐὰν . . . δρᾶν explicatius refertur, quod εἰ δοκεῖ, si vobis videtur, adumbraverat. Haud scio num huc pertineant eiusdem comoediae vss.

757. εἰ γὰρ ἐνθάδ' ἐστὶν αἰσχρὸν τὸν πατέρα τύπτειν νόμῳ,
τοῦτ' ἐκεῖ καλὸν παρ' ἡμῖν ἐστιν, ἤν τις τῷ πατρὶ
προσδραμὼν εἴπῃ πατάξας, αἶρε πλῆκτρον εἰ μαχεῖ.

Neque enim utriusque membri εἰ γὰρ ἐνθάδ' ἐστὶν αἰσχρὸν et ἐκεῖ παρ' ἡμῖν καλόν ἐστιν sententia ea est, ut alterum alterius causa haberi possit, sed sententiam, si totius loci conformationem nec non versus qui antecedunt et sequuntur respexeris, potius hac forma fuisse exspectaveris: εἰ γὰρ ἐνθάδε τὸν πατέρα τις τύπτει, αἰσχρόν ἐστιν, τοῦτ' ἐκεῖ καλὸν παρ' ἡμῖν κτλ.

Inter duplicis protasis exempla porro ea commemoranda sunt, in quibus altera protasis alteri subiecta est. Admodum perspicua est rerum condicio in

V. vs. 1262. μαθητέον τἄρ' ἐστὶ πολλοὺς τῶν λόγων,
εἴπερ γ' ἀποτίσω μηδέν, ἤν τι δρῶ κακόν.

ἤν τι δρῶ κακόν praecedat necesse est τῷ ἀποτίνειν μηδέν, id quod transpositis verbis collocatione: εἴπερ γ', ἤν τι δρῶ κακόν, ἀποτίσω μηδέν significare possumus. Cum post verba, quibus animi affectus exprimitur, pro ὅτι particula εἰ usurpari soleat, quodammodo huc quoque pertinet:

L. vs. 649. εἰ δ' ἐγὼ γυνὴ πέφυκα, τοῦτο μὴ φθονεῖτέ μοι,
ἢν ἀμείνω γ' εἰςενέγκω τῶν παρόντων πραγμάτων.

ubi iterum verba ἢν ἀμείνω γ' εἰςενέγκω τῶν παρόντων πραγμάτων tempore praegrediuntur illis εἰ δ' ἐγὼ γυνὴ πέφυκα. Coniungendi sunt in hoc genere

Equ. vs. 694. εἰ μὴ σ' ἀπολέσαιμ', εἴ τι τῶν αὐτῶν ἐμοὶ
ψευδῶν ἐνείη, διαπέσοιμι πανταχῇ.

et Th. vs. 926. οὐ γὰρ προδώσω οὐδέποτέ σ', ἤνπερ ἐμπνέω,
ἢν μὴ προλίπωσ' αἱ μυρίαι με μηχαναί.

Utroque loco gravissimae asseverationis exemplum habemus, illic Paphlagonis, qui, si quid in se veterum mendaciorum insit, se intercidere velle iurat, si allantopolam non disperdat, hic Euripidis, qui Mnesilochum nunquam se proditurum esse affirmat, si modo quidquam in se futurum sit vitae, si consueti doli se non destituant. Atque in Equitum versibus ex optativo διαπέσοιμι condicionalia enuntiata modum traxisse supra vidimus. Cum totum sententiae pondus in vincendo isiciario positum sit primitiva exsecrationis forma erat: εἰ μή σ' ἀπολέσαιμι, διαπέσοιμι non εἴ τι τῶν αὐτῶν ἐμοὶ ψευδῶν ἐνείη, διαπέσοιμι. Non dubium est, quin condicio εἴ τι τῶν αὐτῶν ἐμοὶ ψευδῶν ἐνείη alteri subiecta sit, quam rationem mutata collocatione illustrare licet. De altero Thesmophoriazusarum loco haud facili negotio iudicari potest. Nam cum utraque protasis per se cum apodosi coniuncta aptam sententiam in qua nihil desideretur efficiat, priori duplicis protasis generi, quo altera protasis sententiam generalem, altera singularem evolvit, versus adnumerari velis. Quamquam huic opinioni suo iure adstipulari quemquam non negaverim, tamen illud quoque concedendum est, verba ἤνπερ ἐμπνέω alteri protasi subiungi posse.

Ut enuntiata concessiva cum enuntiatis condicionalibus semper una tractavimus, ita in hoc quoque genere exempla in quibus altera protasis hypothetica, altera concessiva est non praeteribimus. Utriusque protasis ratio ea est, ut protasis concessiva, quippe quae sententiae per se pronuntiatae novam adferat restrictionem, ubique condicionali subiecta sit. N. vs. 591 sqq. V. vs. 653 sq. vs. 1071 sqq.

VI. De protasi paratactica.

Sententiarum inter se coniungendarum rationem antiquissima sermonis aetate eam fuisse, ut non enuntiatio secundaria primariae subiungeretur sed duae primariae coniungerentur, inter omnes constat. Itaque etiam sententiarum condicionalium propriam vim ac naturam ex enuntiatis optativis per se subsistentibus profectam esse nobis persuasum est, neque apud Aristophanem prorsus veteris status memoriam evanuisse, supra vidimus. Sed praeter hoc paratacticae protasis genus apud scriptores aliud invenitur, quo enuntiatum, quod alteri pro condicione esse sententia evincit, nullo optativi sensus adiumento nudum praemittitur vel mediae orationi interponitur. Ut huius constructionis originem declaremus, non ex sermone vulgari aetate posthomerica eam ortam esse, ut olim C. Fr. Hermannus censuit, existimamus, totoque caelo erat Kuehnerus in grammaticae graecae p. 784. Exempla Aristophanea ita disponemus, ut primum indicativum, deinde optativum, denique imperativum protasis loco positos recenseamus atque in singulis generibus, utrum interrogationi locus sit necne, disceptemus. Nam etiamnunc sunt, qui interrogationis signum protasi paratacticae affigere pergant.

Luculentissimum exemplum Nubes suppeditant in Iusti et Iniusti altercatione vs. 1076.

ἥμαρτες, ἠράσθης, ἐμοίχευσάς τι, κᾆτ' ἐλήφθης·
ἀπόλωλας · ἀδύνατος γὰρ εἶ λέγειν.

Nemo, opinor, condicionalem aoristi usum in his versibus: si peccasti, amasti, periisti, quoniam causam orare nescis, non videbit. Protasim vero interrogative proferri cum totius loci tenore tum verborum sensu vetatur ac ne percipi quidem mente aut cogitari potest. Alterum exemplum in editionibus plerumque oblitteratum habes in Avium

vs. 76. τοτὲ μὲν ἐρᾷ φαγεῖν ἀφύας Φαληρικάς,
τρέχω' π' ἀφύας ἐγὼ λαβὼν τὸ τρύβλιον.
ἔτνους δ' ἐπιθυμεῖ, δεῖ τορύνης καὶ χύτρας,
τρέχω 'πὶ τορύνην.

Euelpidi miranti, quod aves ministris indigeant, upupae famulus heri libidines narrat: Si apuas comedere vult, curro ad apuas, si pultem desiderat, iterum mihi currendum est. Atque in vs. 76 pro τοτέ a libris manuscriptis tradito Meinekius protasi paratactica deleta non debebat ὅτε coniectura ponere. Admodum memorabile est, vs. 78 duplicem protasim paratacticam contineri, cuius rationem sic animo informare possumus: ἔτνους ἐπιθυμεῖ, δεῖ τορύνης καὶ χύτρας.¦ δεῖ τορύνης καὶ χύτρας, τρέχω ἐπὶ τορύνην. Qui accurate hunc locum consideraverit, Blaydesii signum interrogationis ἔτνους ἐπιθυμεῖ; absurdissimum esse intelleget. Sequitur:

Th. vs. 405. χάμνει κόρη τις, εὐθὺς ἀδελφὸς λέγει·
407 . . . γυνή τις ὑποβαλέσθαι βούλεται
ἀποροῦσα παίδων, οὐδὲ τοῦτ' ἔστιν λαθεῖν.

Locus ex mulierum de Euripide, virorum corruptore, accusationibus sumptus est. Quo planius condicionalis horum versuum sensus appareat nec non de Blaydesii distinctione κάμνει κόρη τις; iudicari possit, versus, qui antecedunt, perscribo inde a vs. 400 ἐὰν μόνον πλέκῃ
γυνὴ στέφανον, ἐρᾶν δοκεῖ · κἂν ἐκβάλῃ
σκεῦός τι κατὰ τὴν οἰκίαν πλανωμένη,
ἀνὴρ ἐρωτᾷ κτλ.

A mulieribus quoque profertur exemplum in Eccl. vs. 179:

ἐπέτρεψας ἑτέρῳ · πλεῖον' ἔτι δράσει κακά.

Conqueruntur de malificis rei publicae praesidibus, quorum alius alio peior sit, ut, si hoc eiecto alii rempublicam commiseris, plura etiam mala facturus sit. Num in eadem Praxagorae oratione vss. 197 sqq, quibus crassae tenebrae offusae sunt, omnes huc referendi sint, in obscuritate sententiae pendeo.

In utroque enuntiato primario exemplorum quae adhuc perlustravimus, indicativus legitur; unum exstat exemplum in quo indicativum excipit optativus cum ἄν particula consociatus:

N. vs. 1416. φήσεις νομίζεσθαι σὺ παιδὸς τοῦτο τοὔργον εἶναι ·
ἐγὼ δέ γ' ἀντείποιμ' ἄν, ὡς δὶς παῖδες οἱ γέροντες.

Phidippides patri pulsato iure eum plecti demonstraturus, si, inquit, dicas more receptum esse ut puer plectatur, ego contra

dixerim, senes bis pueros esse. Hisce finibus indicativi in protasi paratactica adhibiti usus apud Aristophanem continetur.

Venimus ad optativum, cuius certum exemplum est

Pac. vs. 43. οὐκοῦν ἂν ἤδη τῶν θεατῶν τις λέγοι
νεανίας . . . κᾆτ' αὐτῷ γ' ἀνὴρ
'Ιωνικός τίς φησιν κτλ.

Collatis simillimis Avium versibus:

166. αὐτίκα 167. ἐκεῖ παρ' ἡμῖν τοὺς πετομένους ἢν ἔρῃ
„τίς ὄρνις οὗτος“; ὁ Τελέας ἐρεῖ ταδί.

de prioris enuntiati vi condicionali: si quis dicat, ei respondeat, dubitatio esse non potest. De altero optativi exemplo

Ach. vs. 1195. ἐκεῖνο δ' αἰακτὸν ἂν γένοιτό μοι,
Δικαιόπολις ἄν μ' ἴδοι τετρωμένον,
κᾆτ' ἐγχανεῖται ταῖς ἐμαῖς τύχαισιν.

magnae virorum doctorum dissensiones sunt. Quales versus 1196 et 1197 descripsi, in codice Ravennate traduntur. Lamachus vulneratus et in scenam delatus, ne insuper a Dicaeopolide sugilletur, timet. Qui cum summo dolore affectus eiulet, integra enuntiata iam proferre non potest atque oratio membratim progreditur. Actorem post unumquodque sententiae colon vocem repressisse atque graviter ingemuisse haud inepte fingimus. Quae cum ita sint, quamquam meram barcariem tradita verba esse Blaydesius clamitat, ego tamen e totius loci natura ea satis bene explicari posse editorumque varias coniecturas ex praeoccupata mente natas esse confido. Medius versus protasis condicionalis vice fungitur atque, si verba una comprehensione complectare, idem valet atque εἴ μ' ἴδοι. Interrogationi in utroque exemplo locum non esse sponte patet.

Restat tertium protasis paratacticae genus imperativo effectum. Exemplorum, quae quidem apud Aristophanem mihi occurrerunt, ea est indoles, ut de interrogatione ne cogitari quidem possit Ut a planissimis versibus incipiam, imperativi vis condicionalis elucet in

Pac. vs. 1246. τὸν μὲν μόλυβδον . . . ἔγχεον,
ἐντευθενὶ δὲ σπαρτίοις ἠρτημένην
πλάστιγγα πρόςθες, καὐτό σοι γενήσεται κτλ.

Neque dissimiles videntur

N. vs. 1490. ἐμοὶ δὲ δᾷδ' ἐνεγκάτω τις ἡμμένην,
κἀγώ τιν' αὐτῶν τήμερον δοῦναι δίκην
ἐμοὶ ποιήσω.

Duo exempla Thesmophoriazusae suppeditant

vs. 569. πρόςθες μόνον, κἀγώ σε . . χεσεῖν ποιήσω.
vs. 1077. ἔασόν με μονῳδῆσαι,
καὶ χαριεῖ μοι.

Ultimum exemplum ultima Aristophanis comoedia praebet vs. 1027. φράζε, καὶ πεπράξεται i. e. si dixeris, statim fiet.

VII. Enuntiata condicionalia dialecto non attica prolata.

Praeter Athenienses Aristophanes in fabulis variis de causis homines reliquarum gentium graecarum loquentes induxit et Atticis alienigenae linguae formas tribuit. Quae in codicibus peccata sunt librariis, qui scilicet raram ac vix intellectam formam usitata eliminabant, imputare non dubito.

Iam si servata enuntiatorum condicionalium ratione primum peregrinorum hominum dicendi formas examinamus, ab Megarensis et Boeoti in Acharnensibus oratione incipiendum est. Pro attico εἰ cum indicativo iuncto Megarensis genuina forma dorica αἰ utitur vs. 766 ἄντεινον, αἰ λῇς; praeterea invenitur vs. 772. 788. 814. Boeotus si libris fides habenda esset vs. 870, quo unicum Boeoti enuntiatum condicionale continetur, atticam formam εἰ usurpasset: sed Blaydesium suo iure εἰ in αἰ mutasse censemus. Particulam condicionalem (ab Elmsleio dorice scriptam) Megarensis cum futuro constructam semel adhibuit vs. 742. Ubi Attici particulae condicionali ἂν addere solent, genuina doris κα eiusque composito αἴκα utitur. Integrum exemplum habes in vss. 834 sq., cui adiungere licet vs. 732. De tertio loco vs. 791

αἰ δ' ἂν παχυνθῇ κἀναχνωανθῇ τριχί,
κάλλιστος ἔσται χοῖρος 'Αφροδίτᾳ θύειν.

quomodo refingendus sit, ambigo. In codice Ravennate exa-

ratum esse tradunt ἀλλ' ἄν, unde Ahrensius ἀλλ' αἰ scribendum esse iussit; vulgo αἰ δ' ἄν legitur, quod in codice Veneto exhiberi ex editorum silentio colligas. Blaydesius αἴκα παχυνθῇ legendum proposuit. Neutra coniectura omnibus numeris absoluta est. In Ahrensii scriptura particulam κα, etsi sermonis dorici simplicis coniunctivi in enuntiatis condicionalibus usum liberiorem fuisse non ignoramus, aegre desideramus. Blaydesius iusto liberius in codicum scriptura versatur neque sententiae tenore utique postulari particulam adversativam animadvertit.

Gravioribus difficultatibus quam Acharnensium exempla, dialecti laconicae specimen in Lysistrata servatum obstructum est. Ac de αἰ quidem cum indicativo praesentis copulato nulla dubitatio est: vs. 1105. 1162 sq. Quae restant tria Lysistratae exempla, a librorum memoria aut nulla sunt aut corrupta ac criticorum ope restituta. Ita in

vs. 105. ὁ δ' ἐμός γα, καἴκ' ἐκ τᾶς ταγᾶς ἔλσῃ ποκά,
πορπακισάμενος φροῦδος ἀμπτάμενος ἔβα.

καἴκ' Ahrensio auctore vulgo scribitur, cum codices κἂν praebeant. Melior sane et probabilior haec correctio est et quae vix reici possit quam Meinekii commentum in vs. 117 excogitatum.

vs. 117. ἐγὼ δὲ καί κα ποττὸ Ταΰγετον ἄνω
ἔλσοιμ', ὅπα μέλλοιμί γ' εἰράναν ἰδῆν.

Libri in scriptura ὅπα (quod imprimendum esse ὁπᾷ Ahrensius docet) consentiunt. Cum vero sententia sit, se vel Taygeti cacumen ascendere velle, si hoc inde consequatur, ut pacem videat, Meinekius αἰ μέλλοιμι restituendum esse iudicat. Quamquam vir summus sententiam huic loco convenientem formavit, tamen quae tradita sunt verba et ipsa facilem explicatum habent. Postquam Lysistrata bello se finem facturam esse mulierum ope promisit, mulierculae summa mala se perpeti paratas esse in Lysistratae consilio efficiendo ipsae affirmant. Lampito duarum Atheniensium feminarum asseverationibus recte se vel Taygetum ascendere, ut inde pacem videat, addit. Tertius locus a criticis purgatus nunc in editionibus sic fere exstat:

vs. 1098. δεινά κα 'πεπόνθεμες,
αἰ εἶδον ἁμὲ τὤνδρες ἀμπεφλασμένως.

Sed in libris manuscriptis, si condicionalem eius partem respicimus κἀῦ πεπόνθαμες et αἴ κ' exarata sunt. Si Laconis verba ad attici sermonis normam dirigenda sunt, certe Bergkii et Meinekii correcturis opus est. Ego doricae dialecti legum syntacticarum imperitior sum, quam ut traditam scripturam stare posse praefracte negaverim. Si vetustioris sermonis graeci usum respexeris, neque a sermone attico absonum esse, εἰ cum indicativo temporum historicorum socia particula ἄν in protasi adhiberi, consideraveris, certe de delenda voce κα scrupulum mihi restare non miraberis.

Denique non praetereunda sunt Scythae Mnesilochum custodientis verba in Thesmophoriazusis, corrupta admodum neque ab omni parte intellecta. Prima eius enuntiatio condicionalis, vs. 1119 sq., quid sibi velit plane nescimus. In his sententiae tenebris criticorum, caecorum more errantium, tentamina recensere inutile est. Facilius reliqua eiusdem lictoris enuntiata condicionalia intelleguntur vs. 1123 sq. et vs. 1187.

In Aristophanis comoediis varie oraculorum cupiditas, quae belli Peloponnesiaci initio Athenis grassabatur, oraculis fictis perstringitur. Bacidis famosissimi vatis nomine proferuntur quae propter sermonis formam ad nos attinent. Prius oraculum in Equitibus fabula traditur:

vs. 200. κοιλιοπώλῃσιν δὲ θεὸς μέγα κῦδος ὀπάζει,
αἴ κα μὴ πωλεῖν ἀλλᾶντας μᾶλλον ἕλωνται.
vs. 209. τὸν οὖν δράκοντά φησι τὸν βυρσαίετον
ἤδη κρατήσειν, αἴ κε μὴ θαλφθῇ λόγοις.

alterum Avium est vs. 978. αἰ δέ κε μὴ δῷς,
οὐκ ἔσει οὐ τρυγών, οὐ λάϊος, οὐ δρυκολάπτης.

In Equitum versu 201. codex Ravennas αἴ κα praebet, Venetus αἴ κεν, duobus reliquis locis libri unum αἴ κε tradunt. Iam si quid Aristophanem moverit, ut primo loco doricam, secundo et tertio epicam formam usurparet, quaesiveris, causam probabilem ego nullam video. Accedit quod altero loco, quo oraculum modo prolatum pluribus explanatur, utique

eandem formam sive doricam sive epicam adhiberi necesse est atque vs. 201. Sed cum simplex κα et compositorum ultima syllaba producantur, αἴ κα ratione metrica alter versus respuit, atque in primo versu codicis Veneti lectionem αἴ κεν praeferendam esse sermonis necessaria aequitate evincitur. Quare, qui Avium versu non neglecto primo loco αἴ κεν scribendum esse censet, non temere ratiocinatus esse putandus est, neque ea Etymologici Magni auctoritas est, ut cum Meinekio, quem omnes editores secuti sunt, servata in vs. 201. Ravennatis scriptura αἴ κα, versui 210. vim facere audeam.

Typis expressit officina Caroli Salewski, Berolini N.

Vita.

Carolus Henricus Ferdinandus Petri natus sum die 14. mens. mai. anni 1860 Biedenkopfiae, in oppido Hasso-Nassoviae, patre Petro, medico veterinario, matre Ludovica, e gente Dieziana. Fidem profiteor evangelicam. Cum pater optimus primo aetatis meae anno Alteiam transmigrare iuberetur, primis ego litterarum elementis imbutus sum in schola Alteiensi, quam quattuordecim annos natus gymnasium Nordhusanum rectore G. Groschio frequentaturus deserui. Maturitatis testimonio Nordhusano instructus vere a. 1880 civibus academiae Gissensis adscriptus sum. Incubui in studium philologiae, quod, sicuti res fert, ad praeceptorum scholas se applicavit. Brauneio et Clemmio ducibus grammaticas sanscritam, graecam, latinam peragravi, cum Philippii scholae ad Graecorum antiquitates historiamque me attenderent. Scholis historicis interfui Onckeni et Weilandi, philosophicis Bratuscheckii, viri non uno nomine optime de me meriti. Auctumno anni 1881 Berolinum me contuli. Per tres fere annos Berolini studia incepta ita repetivi, ut historia non neglecta philologiae praecipue operam navarem. Atque ex huius universitatis professoribus plurimum debeo J. G. Droyseno et Vahleno, quorum ille me inter sodales societatis historicae recepit, hic, *αἰδοῖός τε δεινός τε*, cum in scholis tum in exercitationibus privatissime habitis per triennium plane eximia cum benevolentia et humanitate studiorum rationem direxit. Audivi praeter illos Kirchhoffium, Robertum, Huebnerum, Bresslavium, Treitschkium, quibus viris omnibus gratias ago maximas. Inde a mense martio anni 1884 usque ad mensem mai. anni 1885 Berolini examen pro facultate docendi absolvi. Examine absoluto cum iam propter officium quod impendebat militare ad scholam accedere non possem, domum me contuli. Gravissimam militiam capessere oportuit stipendiaque explevi Francofurti ad Moenum inde a primo die mensis octobris anni 1885 usque ad eundem diem anni 1886. Ex illo tempore in gymnasio Joachimico Berolinensi candidati probandi munere fungor ac post flebilem patris optimi mortem die 18. mensis novembris anni 1886 vitam in luctu traho.